motor compellatus, cujus est causas publicas, et ad communem Ecclesiae et Dioecesis utilitatem spectantes suscipere, defendere, atque earum decisionem coram judice ecclesiastico urgere. Nomen promotoris derivatur a verbo promovere, eo quod officii ejus sit invigilare abusibus et insolentiis delictisque quae in Dioecesi committuutur; atque de iis Episcopum informare, quin et opportunum remedium, etiam judicialiter contra delinquentes agendo expetere. Formula constitutionis Fisci consistorialis, ex qua officii ejus ambitus dignoscitur sequens est. Nos N. N. Episcopus etcet. damus tibi facultatem, omnes et singulas causas ad forum nostrum, et jurisdictionem nostram ecclesiasticam et spiritualem spectantes agendi, promovendi, interessendi, et concludendi; sententias et jus super iis a Nobis vel a Domino Officiali dictae nostrae curiae ecclesiasticae et spiritualis fori (Vicario generali) ipsasqne debitae executioni demandari, instandi, Ecclesiasticos et alios nobis subditos delinquentes seu in crimine deprehensos et in culpa, ac alios, quos convenit citari, evocari, corrigi, puniri, mulctari, sententiari, condemnari, absolvi, prout aequitas et juris ordo postulaverit curandi, et generatim omnia alia et singula faciendi, gerendi, et exercendi, quae ad hujus promotoris munus et officium de jure et usu, vel consvetudine spectant, et quae circa praemissa necessaria et opportuna fuerint. (Vid. Vanespen Parte III. Tit. V. Nro. VI.)

### § 163. De Notariis, seu Secretariis Tribunalis ecclesiastici.

In Codice Justiniani exstat Titulus: De Assessoribus domesticis, et cancellariis Judicum. Cancellarii



autem Judicum scribendis et expediendis Judicum Epistolis operam dabant. Hique cancellarii dicti sunt eo, quod eorum cellulae ob chartarum amittendarum periculum cancellis essent munitae. Horum officio funguntur hodie Notarii vel Secretarii, qui tamquam publicae et juratae personae omnia acta judicialia scribunt, fideliter custodiunt, et registrant. Documenta per hos Notarios vel Secretarios subscripta publica fide gaudent. In juramento per hos deponi solito adpromittunt, quod secreti erunt, nulli partium littigantium addicti, aut partiales futuri, neque etiam consilium partibus sive directe sive indirecte dabunt.*)

## CAPUT II.

## DE PROCESSU ECCLESIASTICO IN GENERE.

### § 164. Notio Processus ecclesiastici.

Processus est ordo actuum judicialium lege praescriptus, seu ratio legitima, qua causae in judicium deducuntur et definiuntur. Est autem processus vel summarius, in quo praetermissis solemnitatibus et formis auditur Reus, et vel absolvitur, vel condemnatur, vel formalis, in quo praescriptae formalitates observantur.

### § 165. Primis decem seculis causae in foris ecclesiasticis summarie pertractabantur.

Primis decem Ecclesiae Christianae saeculis summa erat inter judicia civilia et ecclesiastica differentia.

*) Vanespen Part. III. Titulo VI.

In his enim sine formulis judiciorum, et neglecto rigore legum civilium ex solis scripturis sacris et canonum praescriptionibus summarie, et ex aequitate quaestiones decidebantur; in civilibus vero, juxta formas juris et servato legum rigore procedebatur. Postquam autem Codex Justinianus etiam Theologis tradebatur, atque studium legum civilium etiam inter clericos invaluisset, causae in foro etiam ecclesiastico juxta earundem legum civilium normam pertractari coeperunt; Pontificesque Alexander et Innocentius III. eorumque successores eamdem normam processuum civilium pro foris ecclesiasticis praescripserunt, sic Libri II. Decretalium Gregorii IX. Capite IX. dicitur: Judex ex officio providere debet ut debitae solemnitates serventur in judiciis, quibus omissis judicium redditur frustratorium." De quibus solemnitatibus judiciorum tractat totus citatus liber Decretalium.

## § 166. Libellus actionalis.

Exordium processus fit cum exhibitione Libelli actionalis per Actorem, seu dum hic speciem facti, fundamentum agendi, suumque desiderium competenti Judici insinuat; estque Libellus actionalis aut scriptus et solemnis, vel non scriptus, viva voce propositus, item conventionalis, quem primo Actor, et reconventionalis, quem Reus Actorem reconveniens exhibet. Libellus debet esse brevis, clarus, aptus, certus, exponatque: quis? quid? quo jure? et a quo petat? et quid Actor a Judice fieri postulet*).

*) Conf. Schenkl. Jur. Eccl. Tom. II. § 849.



## § 167. Citatio.

Exhibito Libello actionali Judex citare debet partem accusatam, eamqae audire, nemo enim non auditus judicari potest. Ut autem citatus deliberare queat, num cedere, num litigare velit, libellus Actoris in Literis citatoriis saltem summarie exprimi debet eo etiam fine, ut citatus ex ipsa citatione meritum actionis contra se motae cognoscere, intelligere et deliberare valeat, utrum ex justa causa et coram competente Judice citatus sit. — Per quem decretum citationis expeditur, debet judicio referre super exhibita parti et per hanc acceptata citatione. Est autem citatio vel simplex et dilatoria, quae ulteriorem dilationem admittit, et neglecta tantum generalem restituendarum expensarum poenam post se trahit, vel peremtoria, quae dilationem non patitur, et ea neglecta citatus per contumaciam convincitur, atque actus pro peremto habetur.

## § 168. De Litis contestatione.

Quodsi citatus coram judicio compareat, atque petitioni Actoris contradicens voluntatem se defendendi sive litigandi declaret, hoc fine generaliter Procuratorem sibi constituendo, contestatio litis dicitur, quae est acceptatio actionis contra se motae fine suae defensionis vel exculpationis. Per contestationem litis processus definitus est, nec ullam mutationem Actio subire potest, nec etiam ipse processus per exceptiones amplius declinari, qui perseverans redditur ad ipsos heredes Actoris transiens*).

*) Conf. Schenkl. § 858. Tom. II.

## § 169. De Contumacia.

Contumacia committitur, dum quis coram judicio legitime citatus non comparet, aut aliis justis judicis mandatis non obedit. Contumax petente Actore ad ferendas neglecti termini expensas condemnatur, post tertiam vero citationem dilatoriam si non compareat, causa deciditur. Quodsi autem peremtoriae citationi non obediat, intentatis gravioribus poenis et censuris ad comparendum compellitur, et si necdum compareat, ex non defendit convincitur.

## § 170. De Proclamatione causae et processu probatorio.

Post Litis contestationem proclamatur causa, Notario proclamationem adscribente, post quod Acta Reoconvento vel Incatto aut ejus Procuratori pro termino 15 dierum, vel pro arbitrio judicis longiori traduntur, atque contra Actorem replicat, producit contraria documenta, testes et argumenta, quae iterum cum Actore communicantur, sicque tribus ordinarie, nunquam autem supra quinque allegationibus pro et contra exhibitis, processus ad sententiam ferendam praeparatur.

## § 171. De probationibus.

Asserenti incumbit proba, sive Actoris officium est, coram Judice ea probare, quae praetensionem suam contra Incattum stabiliant. Est autem probatio alia plena, quae fit per testimonia, quae secundum leges ad facti veritatem evincendam sufficiunt; secus est semiplena. Sic probationem plenam faciunt duo



testes omni exceptione majores, semiplenam autem unus tantum testis omni exceptione major.

## § 172. Species probationum.

Species probationum sunt sequentes:

*a)* Rei evidentia, seu notorium constituit sufficientem probam; est autem notorium aliud facti, quod ita hominum sensibus patet, ut nulla tergiversatione celari queat, vel notorium juris, quod ex certo jure vel in judicio oritur, proindeque sola allegatione non probatione indiget.

*b)* Fama, quae si duobus spectatae fidei testibus probata sit, gravem contra Incattum praesumtionem constituit; sic sola fama de affinitate aut consangvineitate sufficiens argumentum ad impediendum matrimonium habetur.

*c)* Inspectio ocularis, quae vel partibus petentibus, vel ex decreto judicis instituitur: quae si a viris artis peritis atque adjuratis fiat, magnum ad probandum momentum habet.

*d)* Praesumtio seu judicium ex certo indicio verosimili ortum, vel conjectura ex circumstantiis facti. Si indicia sint evidentia, magnam probandi vim habent. Plures praesumtiones probabiles in idem consentientes probationis vim augent, eamque aliquando plenam reddunt.

*e)* Confessio, seu asseveratio ejus quod adversarius praetendit, aut facti proprii ab alio nobis imputati affirmatio. Confessio coram judice indubiam probam facit juxta illud: „propria confessio mille testes.“ Si tamen sit confessio libera, sponte et scienter facta, clara, certa et seria. Confessio autem extra judicium

facta si duobus saltem testibus probetur, facit plenam probam. Confessio nocet soli confitenti; sic confessio adulterae non convincit adulterum designatum, (C. 5. de adult.) nec gravat liberos, quos illa illegitimos asserit; alleganti enim propriam turpitudinem in praejudicium tertii non creditur.

*f)* Attestationes, seu probatio per testes. Testium nomine veniunt generatim personae ad facti veritatem assertis suis evincendam idoneae; seu fidedignae, quae ad judicium pro testimonio ferendo evocatae et auditae ut quid de causa controversa cognitum habeant, sincere enuncient. Testes ad testimonium acceptabile ferendum inhabiles sunt, et quidem 1) absolute rationis impotes, aut rei, de qua agitur, cognitione penitus destituti, impuberes, perjurii aut falsi convicti, pretio corrupti, aut facile corrumpibiles, sicut sunt pauperes interdum et viles personae; porro infames facto vel jure, excommunicati et haeretici. 2) Testes relative inhabiles intuitu certarum personarum sunt: Judaei pro Judaeo contra Christianum, inimici contra inimicum; sangvinis, subjectionis et simili nexu cum iis, pro quibus, vel contra quos testentur juncti, nisi in casibus jure exceptis v. g. in causis matrimonialibus etiam consangvinei testari possunt; item exceptis casibus in quibus veritas aliter haberi nequit. Rejiciuntur etiam testes laici contra Clericos in causis criminis, exceptis delictis notoriis, scandalosis, et ubi haberi testes Clerici nequeunt*). 3) Intuitu certarum causarum testes inhabiles sunt Clerici in causa sangvinis contra Reum, quivis in causa propria, item in quos ex causa speciale lucrum, commodum aut incommodum redundat. Examinandi autem

*) C. 21. 5. 22. 24. 14. de test. et attest. C. 9. de accus.



sunt testes vel coram judicio, vel extra judicium per commissarios seorsum et secreto, remotis partibus, ad quaestiones, sive articulos tum a partibus oblatos, tum a judice ex officio additos; responsa sive testimonia in scriptum redacta testibus iterato perlegantur, atque confectum inde protocollum ad petitionem ejus, qui testes producit, partibus praesentibus publicetur.

*g)* Per Instrumenta, quae sunt scripturae vel ad rerum gestarum memoriam fidemque confectae, vel saltem ad fidem de veritate facti judici faciendam idoneae. Sunt autem Instrumenta alia privata, quae a personis privatis scripta sunt, vel publica, quae a persona publica qua tali sunt confecta; publica Instrumenta plenam, privata semiprobam faciunt. Scripturam suam neganti juramentum injungitur.

*h)* Jusjurandum judiciale, quod est vel litis decisorium, quod litis finiendae causa datur, vel litis aestimatorium, idque aut veritatis aut affectionis, quo rei litigiosae aestimatio vel ex vero pretio, vel ex peculiari in illam affectu asseritur. Juramentum litis decisorium iterum est vel voluntarium, quod pars parti judice probante defert, vel necessarium, quod partes ab invicem exigunt, aut quod ipse judex ad complendam probationem imperat; et quidem, si Actori ad complendam probationem injungatur suppletorium, si autem Reo ad elidendas praesumtiones contra se prolatas imperetur, purgatorium appellatur. Purgatorio juramento in omni causa locus est. Juramentum autem suppletorium in causis Clericorum criminalibus, sive delictis canonicis, item matrimonialibus, in quibus duntaxat probationes perspicuae admittuntur, nullatenus est deferendum*).

*) C. 34. de jurjur. C. 1. 4. 8. 16. de purg. Can.

*Nota.* Quum utrumque hoc juramentum solum ob defectum plenae probationis obtineat, non potest illud imperari: 1) si pars utraque semiplene solum probet, eo quod his probationibus se invicem elidentibus nihil probatum sit; 2) si utraque pars plene probat, tunc enim superfluum esset; — imperari autem potest, si plena alioquin Actoris probatio per argumenta quaedam Rei aliqua in parte infirmentur (C. 2. de probat.). Datur autem etiam juramentum calumniae, quo partes bona fide se litigaturas, et ab omni fraude alienas esse asseverant; et quidem si fiat post litem contestatam intuitu totius judicii, generale; si autem tantum intuitu certi actus judicialis praestetur, speciale, alias malitiae a canonistis dictum. Juramentum calumniae his fere capitibus continetur: nempe jurandum 1) quod partes justam se habere causam credant; 2) quod in ea agenda velint bona fide versari; 3) quod judici nil dederint, promiserint aut deinceps daturi sint; 4) quod juste quaesiti verum inficiari nolint*).

Nota: usus hujus juramenti in pluribus locis cessavit.

# CAPUT III.

## DE SENTENTIA ET REMEDIIS CONTRA EAM.

### § 173. De Conclusione Causae.

Disceptationi et probationibus in processu finem imponit, et ferendae sententiae viam aperit conclusio in causa, seu declaratio legitima, qua partes ulterioribus probationibus renunciant, et causam controversam judicis decisioni submittunt. Est autem conclusio in causa vel expressa, dum partes causam judicis sententiae submittere declarant; vel tacita, dum terminum peremtorium ad ulteriorem defensam elabi sinunt.

*) Vide Schenkl. Tom. II. pag. 745.



### § 174. De Sententia.

Conclusionem in causa sequitur sententia, seu pronunciatio judicii quoad causam controversam. Sententia est vel definitiva, quoad meritum ipsum causae principalis, vel interlocutoria, quae certum solum articulum, qui in decursu causae emergit v. gr. quoad competentiam fori si controvertatur, respicit. Porro sententia vel est absolutoria, vel condemnatoria, prout Reusconventus vel absolvitur vel condemnatur.

### § 175. De attributis Sententiae.

Sententia debet esse: 1) a judice competente lata; 2) per vota (si judicium e pluribus membris constet) majora; si enim vota aequalia sint, Incattus absolvitur, juxta illud Gregorii IX.: „Non potest quemquam a sacerdotali gradu, nisi concors Sacerdotum sententia submovere" [1]); 3) juxta leges et statuta fori ex actis et allegatis, juxta Decretum Gregorii IX.: „Sententia contra leges Canonesque prolata ipso jure est nulla" [2]). 4) Sententia debet esse certa, determinata, pura, et ad nullam conditionem, nisi quae in continenti impleri possit, nec ulteriori cognitione indigeat adstricta. 5) In sententia nominandus est judex partesque litigantes, brevemque sed plenam causae descriptionem complectatur.

### § 176. De publicatione Sententiae.

Sententia est debitis cum solemnitatibus publicanda, nempe 1) ex scripto: 2) partibus ad id citatis,

[1]) Libr. II. Decret. Tit. XXVII. Cap. III.
[2]) Libr. II. Decret. eod. Tit. Cap. 1.

3) Judice ipso pro tribunali sedente, 4) die non festo vel feriato.

## § 177. De effectibus Sententiae.

Effectus sententiae est: si partes litigantes sententiae acquiescant, aut intra decem dies non appellent, sententia vim rei judicatae obtinet, atque pro veritate habetur; probationem oppositam et actionem excludit exceptis causis matrimonialibus quoad solutionem vinculi, in quibus sententia in rem judicatam nunquam transit, et quandocunque contra eam actio erigi potest. In causis autem Clericorum criminalibus intermissa praescripto termino appellatione recursui ad S. Sedem Apostolicam pro appellationis gratia concedenda locus est, qui recursus judicio insinuatus executionem sententiae suspendit.

## § 178. De Appellatione.

Remedium contra sententiam est appellatio ad judicem superiorem; seu postulatio, ut sententia a primo judice lata ad proxime superiorem fine revisionis deferatur. Appellare potest omnis per sententiam gravatus, nisi 1) quis ob veram contumaciam sit condemnatus, 2) in judicio sponte confessus, aut 3) evidenter convictus, aut 4) expresse si sententiae acquiescat, vel tacite, si intra decem dies appellationem non insinuet, appellationi renunciaverit. Ceterum etiam in casibus, dum quis jure appellandi destituitur, recursui ad S. Sedem Apostolicam pro gratia appellationis, ut priori quoque § monitum est, locus est.



## § 179. Effectus Appellationis.

Effectus appellationis sunt: 1) Sententiae executio suspenditur, exceptis sententiis ad correctionem paternam et disciplinarem per Episcopum in visitatione canonica latis. 2) Causae totius cognitio et decisio ad superiorem judicem devolvitur, coram quo neglecta in primo judicio suppleri, nondum probata probari possunt, nova tamen per testes probatio super iisdem, vel contrariis articulis de regula non admittitur.

## § 180. De executione Sententiae.

Ecclesia gaudet potestate legislatoria, et judiciaria, ergo et executiva gaudere debet, seu potestate cogendi ad obsequendum mandatis suis, et ad praestandum ea quibus ex sententia pronunciata quis obligatus est. Proprium quidem Ecclesiae cogendi medium intentatio excommunicationis est; qui Ecclesiam enim non audierit, ei non obedierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Supra quod medium tamen adhuc utitur Ecclesia ad suas sententias executioni mandandas etiam invocatione assistentiae et brachii saecularis, quae per potestatem civilem recognita semel Ecclesiae judicandi autonomia relate ad subditos civitatis, qui membra Ecclesiae sunt, nunquam denegare potest, ni in proprium suum finem, qui per Ecclesiam promovetur impingat.

# CAPUT IV.

## DE JUDICIO ECCLESIASTICO CRIMINALI SEU COERCITIVO.

### § 181. De modis, quibus crimina ad forum ecclesiasticum deducuntur.

Crimina ad forum ecclesiasticum deducuntur:

*a)* per accusationem, quae est delatio delicti et personae delinquentis facta apud judicem ecclesiasticum publicae vindictae et poenae causa *). Accusator autem debet esse vir probus, fide dignus, non inimicus, nec inimicorum familiaris, aliique, qui jure quoque civili ab accusando prohibentur, et fidem non merentur. Accusatio fieri debet per ipsum accusantem coram judice personaliter praesentem, per procuratorem autem non admittitur.

*b)* Per denunciationem, quae est simplex criminis occulti facta superiori revelatio: 1) evangelica, quae ad superiorem ceu patrem, Rei emendandi causa, praemissa tamen fraterna correctione secreto facta, absque obligatione crimen probandi, attamen denuncians saepe tenetur suggerere testes, indicia, probationes ut procedi possit ad inquisitionem; vel 2) judicialis, quae fit ad eundem superiorem qua judicem damni privati reparandi gratia.

*c)* Per inquisitionem, quae est actus, quo judex, an, et a quo commissum sit crimen, ex officio sine delatione aut accusatione inquirit: 1) generalis, qua generatim in delictum, ejusque auctorem, 2) specialis,

*) Schenkl. Tom. II. pag. 776.



qua in certam personam an delicti sit rea, inquiritur. Ad generalem sufficit delictum esse patratum, aut rumorem de eo commisso volitare, vel aliquam adesse de crimine commisso justam suspicandi rationem. Ad specialem requiritur; ut de corpore delicti constet, isque, de quo inquirendum est, merito de crimine suspectus, aut infamis sit. Ceterum generalis inquisitio saepe praemittitur, ut hac ratione ad specialem procedi possit.

### § 182. De Actione.

Quod si facta inquisitione persona indiciis gravata inveniatur, Acta Fisco Consistoriali stabilito contra Reum actoratu, pro apponenda Actione, seu petenda in sensu Canonum poena extradantur, cujus effectus sunt: 1) Reusconventus pendente Actione a muneribus publicis suspenditur; 2) ad novas dignitates admitti, et 3) accusatorem recriminare, nisi forte de majori crimine, nequeat; manet tamen Inactionato suum beneficium, nisi quod pars in provisorem officii impendi possit in quantitate, aut mutua conventione, aut arbitrio judicis determinanda.

### § 183. De procedura criminali.

Exhibito per Fiscum Consistorialem qua promotorem Libello actionali, Reusconventus coram judicio sua forma citatur, et pro ratione criminis et circumstantiarum potest etiam detineri, et in securo loco custodiri; dein Acta Causae ei vel ejus procuratori pro replica traduntur; testes coram judicio citantur, eorum fassiones authenticantur, inter se et cum Reo confron-

tantur; si desint sufficientes probae, Reus ad purgationem canonicam per jusjurandum tactis SS. Evangeliis nuncupandum admittitur; denique lata sententia aut absolvitur, aut convictus vel confessus, imo aliquando praesnmtionibus violentis gravatus ad poenam condemnatur.

# CAPUT V.

## DE PROCESSU ET JUDICIO MATRIMONIALI.

### § 184. Judex causarum matrimonialium.

Causae matrimoniales ad judicem ecclesiasticum spectant, cui soli competit de validitate matrimonii et obligationibus ex eodem derivatis sententiam ferre. De effectibus matrimonii mere civilibus potestas civilis judicat. (§ 95. Instr.)

### § 185. De Judice competente.

Conjuges in causis matrimonialibus subsunt Episcopo, in cujus dioecesi maritus domicilium habet; excepto, si conjugale vitae consortium aut per separationem a thoro et mensa, aut per desertionem malitiosam a marito patratam sublatum sit, in priori casu judex competens est Episcopus ille, in cujus dioecesi domiciliata est pars contra quam proceditur, in posteriori autem malitiosae desertionis casu, judex competens est Episcopus, in cujus dioecesi pars deserta domicilium habet. — Peracta citatione mutatio, quae quoad domicilium conjugum posthac interveniret, competentiam judicis non mutat. (§ 96. Instr.)



### § 186. Exceptio quoad judicis competentiam.

Si nupturientes aut conjuges in causis matrimonialibus citati competentiam tribunalis, coram quo citati sunt, impugnare se posse censent, exceptionem intra decem ab exhibita iis citatione numerandos dies tribunali eidem exhibere tenentur. Exceptione per tribunal pro infundata declarata, sententiam eatenus interlocutoriam ad judicem superiorem appellare possunt, cujus enunciatio obligat, nec ulterior datur appellata. (§ 103. Instr.)

### § 187. De competentia Judicii in matrimoniis mixtis Catholicorum cum non Catholicis.

In matrimoniis mixtis Catholicorum cum non Catholicis, ergo etiam graeci ritus non-unitis, quamdiu una pars catholica est, competens judicium catholicum est. (§ 43. Ehepatent ddto 8. Oct. 1856.) Si unus conjugum, qui tempore initi matrimonii acatholici fuerunt, ad fidem catholicam convertatur, pars noncatholica coram tribunali propriae confessionis matrimonium impugnare potest, sententia tamen via Regiminis provinciae cum catholico tribunali pro cognoscendo, in quantum ea sententia partem catholicam in conscientia obliget, communicanda est. Vicissim pars catholica coram suo tribunali matrimonium accusare potest; et sententia contra valorem matrimonii lata cum tribunali acatholicae partis fine pertractationis via Regiminis provinciae (seu locumtenentiae) communicanda est. (§ 44. et 45. Ehepatent.) Ergo in adducto casu Judicium competens pro parte non-catholica potest esse

non-catholicorum tribunal, pro catholica autem parte est judicium competens catholicum. Quod si tribunal acatholicum matrimonium validum esse enunciaret, liberum est parti acatholicae solutionem vinculi a tribunali catholico postulare, cujus sententia pro nullitate matrimonii lata legale divortii fundamentum constituit. Si autem pars non-catholica divortiari non petat, pars catholica a judicio ordinario civili petere potest, quatenus jura sua civilia ex matrimonio enata ita coordinanda declarentur sicut fit, dum dissolutio, vinculi locum habet. Antequam autem solutio vinculi enuncietur, aut ante cognitionem causae per judicem civilem, nulli partium licet ad alias nuptias transire (§. 46. Ehepatent).

Si conjuges, qui tempore contracti matrimonii acatholici fuerunt, sed dein religionem catholicam professi sunt, rursusque ad acatholicismum defecissent, judicium competens relate ad matrimonium illorum est tribunal acatholicorum, idem tamen tribunal contra principia catholica sententiam pronunciare non potest (§ 56. Ehepatent). Pariter si sive unus catholicus, sive uterque conjux catholicus, ad quamcunque acatholicorum confessionem deficiat, matrimonium illorum solvi nequit (§. 57).

Hae sunt leges civiles in Imperio Austriaco vigentes, quae judicia ac tribunalia respiciunt circa matrimonia mixta et in casibus superiori paragrapho contentis.

## § 188. De Tribunalis matrimonialis membris.

Quamvis Episcopi soli ex proprio munere sint causarum ecclesiasticarum proinde etiam matrimonia-



lium judices, quoniam tamen innumeris propemodum negotiis vacare tenentur, ne pro Ecclesia non minus quam statu publico tanti momenti causae matrimoniales moram patiantur, expedire visum est ut in dioecesibus catholicorum Austriacis prout jam antea in aliis Regnis invaluit, a consvetis episcopalibus Consistoriis, distinctum Tribunal pro causis matrimonialibus introduceretur sub praesidio Officialis seu Vicarii causarum matrimonialium Auditoris, cujus persona relate ad judicium cum Episcopi identica sit, a quo ad Episcopum appellata non detur, nisi juxta § 178. Instructionis, antequam sententia feratur, tribunal matrimoniale ea, in quae decernenda consensit, Episcopo adjunctis rationum momentis subjicienda habet; qui quando sententiam ferendam haud sufficienter fundatam esse censeat, Tribunali matrimoniali injungere potest, ut circumstantias ab ipso indicatas denuo mature perpendat, et de consultationum resultato ad ipsum referat. Praesidi ad Tribunal constituendum adjunguntur per Episcopum minimum quatuor, plurimum sex consiliarii referentes voto decisivo gaudentes omni respectu idonei, item vir idoneus, qui impeditum aliquem Consiliarium supplere queat, tunc tantum voto gaudens, atque Secretarius seu Notarius Tribunalis (§ 97. Instr.)

## § 189. De vinculi matrimonialis Defensore.

In omni Tribunali matrimoniali adesse debet vinculi matrimonialis Defensor idoneus per Episcopum nominandus, sine cujus praesentia nullus actus judicialis validus est. Defensor matrimonii et in muneris ingressu, et quoties matrimonii cujusdam valorem

tuendum suscipit, jurare tenetur, se omnia; quae ad matrimonii vinculum servandum facere possunt, diligenter exploraturum et ad ipsum tuendum fideliter adhibiturum fore. Tribunalis sessionibus intersit. Ad partes audiendas, ad testium depositiones excipiendas, omnesque actus judiciales, quoad quos suas reflexiones sincere enunciare debet, concurrat. Voto tamen ad ferendam sententiam non gaudet. (§ 124. et 125. Instr.)

## § 190. De Tribunalis matrimonialis ordine et serie agendorum.

Quaecunque Acta causas matrimoniales concernentia praesenta per Praesidem adscripta Protocollo sic dicto Exhibitorum per Secretarium Tribunalis inscribuntur. Protocollum exhibitorum e sequentibus rubricis constet: 1) Nrus currens a 1-a Januarii usque finem Decembris a 1-o continuandus. 2) Quis exhibuit? et quid contineat? 3) Dies et meritum pertractationis. 4) Dies expeditionis. 5) Nomen Referentis. Post improtocollationem Actorum, Praesidium quae sua sunt sibi reservat, reliqua Acta distribuit inter Referentes Tribunalis Consiliarios, habita ratione ad eorum qualificationem, et momentum causarum, item ne unus alterve nimis obruatur, sed ex aequo quilibet agendorum particeps fiat; insuper id quoque attendendum est, ne causa tali Consiliario tradatur, qui in aliqua correlatione ad partes causantes constituitur, qui relate ad talem causam ab aliis quoque functíonibus suis abstinendum habet (§ 100). Consignatis autem Referenti Consiliario Actis, hic suam referadam conscientiose elaborandam habet. Consul-



tis omnibus jurisdicendi fontibus, sicque in Filira votante apposito Titulo causae cum nomine et cognomine partium genuinum et meritorium Exhibiti extractum praemittendo, votum suum depromat, quod praecisum sit, sine repetitione eorum, quae in praemisso extractu jam comprehensa sunt. Quantum autem temporis cuilibet Consiliario pro elaboranda sibi consignata causa admittendum sit, in defectu positivae ordinationis stabiliri quidem nequit, optandum tamen est, ut sedulam operam adhibeant, quo pro sententia ferenda intra 30 dies, secus pro proxima sessione Tribunalis suas referadas elucubrent.

## § 191. Continuatio, de sessionibus Tribunalis matrimonialis.

Cum jurisstitia relate ad causas matrimoniales qua privilegiatas locum non habeant, sessiones pro cognescendis et pertractandis his causis quocunque per annum die non tamen feriato servari possunt, quos tamen qualibet hebdomade in regula determinatos esse oportet; possunt tamen sessiones pro negotiis praegnantibus etiam extra seriales per Praesidem indici. Quaelibet sessio est cum invocatione Spiritus sancti inchoanda pleno numero assidentibus Consiliariis, vinculi Defensore, et Secretario, in qua perlectis nefors ad Tribunal dimissis ordinationibus Episcopalibus, atque Jurisdictionum superiorumque Fororum rescriptis et intimatis, Consiliarii ordine senii ex filira votante suas referadas perlegant, provocata autem per partes documenta, vel quae Praeses aut alter Consiliarius per extensum perlegi optaret, alter Consiliarius per extensum perlegat. Referada Con-

siliarii absque interlocutione est excipienda, excepto si aut Praeses aut Consiliarius quoad aliquod factum dubium haberet, quoad quod Referens interlocutorie petitam dilucidationem praestare debet. Perlecto autem per Referentem voto, vinculi matrimonialis Defensor scriptum suum votum, et in casnm si cum extractu Referentis plene contentus non esset, etiam proprium extractum perlegere debet, post quod Praeses provocat reliquos assidentes Consiliarios ordine quo adsident ad vota sua depromenda, quae per singulum votantem motivanda sunt; quod si aliquis Consiliariorum sub sessione votum suum depromtum mutaret, hoc ipsum quibusve e motivis in Protocollo sessionis exprimendum est, praestitisque per omnes concernentes votis, Praeses juxta majoritatem votorum, vel si vota paria sunt, accessione sua, et quidem ubi de vinculo matrimoniali agitur, semper pro valore matrimonii conclusum enunciandum habet (§ 99). Quod si objectum tale sit, ut sive Praeses sive aliquis e Consiliariis ad enunciandum votum suum longiori combinatione indigeat, antequam votum suum depromeret, ac conclusum in causa fieret, potest Acta causae cum elaborato Referentis, et vinculi Defensorís pro combinatioue expetere. (Vid. Kutshker Tom. V. pag. 514.)

## § 192. Protocollum sessionis Tribunalis matrimonialis.

De omnibus, quae in singula sessione Tribunalis matrimonialis contingunt, sive scripto legantur, sive oretenus verbis referantur et propugnentur, Protocollum per Secretarium Tribunalis construi debet, cujus partes essentiales sunt; *a)* Objectum, quod discuti-



tur, vel de quo deliberatur; *b)* partes, quas objectum concernit nominentur; *c)* vota et motiva Consiliariorum; denique *d)* conclusum clare expressum. Necessarium autem non est, ut sive extractus causae per Referentem factus sive etiam votum per extensum in Protocollo sessionis describatur, sed succincte duntaxat et summarie exprimatur; quoad votum Consiliarii, qui ante se votum depromenti consentit et nihil novi profert, sufficiat consensum adnotare; quoad eorum Consiliariorum vero vota, qui nova motiva protulerunt, eadem succincte in Protocollo sunt exprimenda; denique relate ad eorum Consiliariorum vota, qui divergens votum enunciarunt, idem cum suis motivis genuine Protocollo inferatur, etiam si tale votum nonnisi formam respiceret:

Formular Protocolli sessionis potest esse sequens:

Nrus. 1. Protocollum dedato 2. Januarii 1859. Tribunalis matrimonialis graeco catholicorum Magno-Varadinensis, respiciens consultationem quoad Inquisitionem praeviam in causa Nro. 1. matrimoniali conjugum N. N. peractam propter (meritum causae).

Praesentes: Praeses N. Consiliarii N. N. N. N.

Vinculi Defensor N. Secretarius N.

D. Consiliarius N. retulit extractum Actorum sequentibus:

D. Vinculi matrimonialis Defensor ob circumstantias vel ex rationibus ... projectat ...

Referens Consiliarius N. idem votum proponit ex iisdem motivis.

D. Consiliarius votat ex motivis: ...

D. Consiliarius consentit Referenti ex pecularibus quoque aliis motivis ...

D. Consiliarius simpliciter Consentit Referenti.

Praeses accedit voto Referentis.
Adeoque Conclusum per majoritatem votorum.
Decernitur Inquisitio probatoria.
N. N. Praeses. N. N. Secretarius Tribunalis.
(Vid. Kutschker Tom. V. pag. 514. et 827.)

## § 193. Instructio Processus Matrimonialis ad nullitatem vinculi.

Quo magis conscius est Judex ecclesiasticus Matrimonium a Deo indissolubile institutum esse, atque juxta effatum Salvatoris: quod Deus conjunxit, homini separare prohibitum esse, tanto majori cautela opus est Judici ecclesiastico, atque adlaborandum est, ut processus ad nullitatem vinculi matrimonialis ita instructus sit omnes juris formas complectens, ut quantum humanitus fieri potest, nihil Judicem latere possit, quod ad evincendam vinculi firmitatem conducit; quo super Benedictus XIV. in sua Encyclica „Dei miseratione“ sequentia monet: „Ad commissum Nobis pastoralis nostri officii munus pertinere dignoscimus, subnascentes ex infernalis hostis astutia et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et sacramentis Ecclesiae injuria infertur, radicitus evellere, et potestatis Nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda divinae legi servetur auctoritas. § 1. Si quidem matrimonii foedus a Deo institutum, quo et quatenus naturae officium est, pro educandae prolis studio, aliisque matrimonii bonis servandis perpetuum et indissolubile esse convenit, et quatenus est catholicae Ecclesiae saeramentum, humana praesumtione dissolvi non posse Salvator ipse ore



suo pronunciavit dicens: Quod Deus conjunxit homo non separet; ad aures Apostolatus Nostri pervenit, inconsulta nimis judicum facilitate in quibusdam ecclesiasticis Curiis infringi atque temere et inconsiderate de eorundem matrimoniorum nullitate latis sententiis potestatem conjugibus fieri transeundi ad alia vota.“ Ideo de dato 11-ae Aprilis 1741. Episcopis Poloniae subjungit idem summus Pontifex: Ea propter Fraternitates vestras in Domino rogamus et hortamur, ut memores rationum coelesti catholicae Ecclesiae sponso Jesu Christo Judici reddendarum Apostolicis vocibus Nostris obtemperantes ministerium Vestrum ea, qua decet vigilantia adimplere satagatis. Nolentes, ut ullo in casu matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo judicata vel resolutiones aut sententiae penitus similes et conformes emanaverint. Nulla proinde potest dari tam evidens causa, aut notoria nullitas, cujus per unum solum judicem enunciatio ut partes ad alia vota transire possint, sufficiat.

## § 194. De Accusatore in causis matrimonialibus vincularibus.

Ad instruendum processum matrimonialem requiritur Accusator legitimus; sic 1) conjux, qui errorem aut injustam coactionem passus est, nisi sive verbo per renovationem consensus, sive facto per consummationem matrimonii affectu maritali, aut voluntariam sex mensibus cohabitationem continuatam juri accusandi renunciasset, est Accusator legitimus. (§ 116. Instr.) 2) Legitimi Accusatores sunt conjuges, si conditio Matrimonii, cui renunciatum non est, ad-

impleta non sit. (§ 117.) 3) Accusatores legitimi sunt conjuges in casu impotentiae. (§ 118.) 4) Conjux tempore initi matrimonii impuber. (§ 119.) 5) Rapta, si in exordio libertatis recuperatae matrimonium accuset. (§ 120.) 6) Conjux, quae impedimenti ligaminis existentiam tempore contracti matrimonii sine culpa ignoravit. (§ 121.) Potest autem imo debet Tribunal ipsum matrimoniale etiam sine Accusatore contra matrimonium procedere, quam primum aut notorietate facti, aut alio modo sufficiens suppetat causa, exceptis casibus, in quibus jus accusandi conjuges privative concernit.

## § 195. De modo, quo nullitatis declarandae petitio est proponenda.

Matrimonii valorem impugnans, petitionem suam ut nullitas promuncietur, aut scripto expressam exhibere, aut in gesta redigendam viva voce proponere potest, atque facta, quibus praetensio nullitatis superstruitur, distincte ac plene proponere, probationesque, quas praesto sibi autumat, indicare debet. (§ 126.) Qui matrimonium libello scripto accusat, coram Tribunali matrimoniali aut ejus Commissario personaliter se sistere, atque de scitu necessariis respondere debet; alias accusatio ab eo facta qua mera denunctiatio consideranda et tractanda erit (§ 127.)

## § 196. Modus pertractandi denunciationes de matrimonii impedimentis factas.

Denunciationes oretenus factae in acta redigendae sunt; si scripto proponantur, curandum est, ut



auctor personaliter examinetur, ad quaestionem facti quantum fieri potest in clarissimam lucem collocandam. (§ 128.) Si denunciatores per scriptum personaliter examinari nequeant, sub peculiaribus tantum rerum adjunctis fundamento talismodi denunciationis procedi poterit, omnem in casum autem depositionibus in ea contentis utendum est ad ulteriores investigationes instituendas. (§ 129.) Denunciationes anonimae seponendae sunt. (§ 130.) Divulgata fama, quae attentionem mereatur, de impedimento matrimonii in fundamentum ejus inquirendum est. ( 131.) Quod si matrimonium incompetcnter quidem accusetur, ex allatis tamen liquido constet matrimonium propter detectum impedimentum irritum esse, ex officio agendum est, ut vel matrimonium convalidetur, vel competens accusator adversus matrimonium reclamet. (§ 132.)

## § 197. Praemittendum tentamen reconciliationis conjugum.

Quodsi impedimentum in jus adductum tale sit, ut quomodocunque se res habeat, consensus conjugis matrimonium accusantis ad illud removendum sufficiat, medio ordinarii animarum Curatoris, aut pro re nata alterius sacerdotis tentandum est, ut admonitionibus opportunis pars matrimonium impugnans ad consensum renovandum permoveatur, aut pro re nata consensus declaratio coram Parocho et duobus testibus iteretur; de quo successu Tribunali relatio praestanda est. (§ 133.) Tentamine vero reconciliationis non succedente atque parte Actorea consilio capto insistente commissionatus Tribunalis ad tentandam re-

conciliationem quaecunque de factis, a quibus valor matrimonii accusati dependet, comperire potuerit, coram Tribunali per sinceram et conscientiosam relationem detegat. (§ 135.) Quod si ex relatione appareat, aut secus constet conjugem jus accusandi quod habuit amisisse, aut vero factum, cui accusatio innititur, insufficiens quidem esset, attamen assertionis falsitas in propatulo esset, actio haud admittenda, et Actor a petito ni provocatus desistat, per conclusum Tribunalis amovendus est.

## § 198. Agenda obmotis impedimentis a quibue Episcopi dispensare possunt.

Quando impedimentorum, quae § 80. Instructionis enumerantur, per Episcopos dispensabilium, quoddam obmoveatur, inquisitio in forma juris instituenda quantum fieri potest evitanda est. Plerisque casibus mediante clero parochiali obtineri poterit, ut dubia factum attinentia eliminentur. Impedimento per libros parochiales, vel depositiones fidedignas comprobato, Episcopus dispensationem impertiatur, et curam habeat, ut convalidatio sine scandalo peragatur. Urgente autem periculo, ne cojuges vel alter eorum impedimento detecto ad consortium vitae dissolvendum abutantur, apud S. Sedem Apostolicam de sanando matrimonio in radice supplicandum est. (§ 139. Instr.)

## § 199. De Inquisitione praevia.

Quando Judex, seu Tribunal matrimoniale petitionem Actoris legitimi sive scripto exhibitam, sive ore ac verbis propositam et ad protocollum assumtam



rejicere nequit, aut ex officio contra matrimonium procedendum habet, judicialem causae pertractationem decernere debet, et quidem proxime Inquisitionem praeviam, alias informativam dictam, ad eruendum et ad possibilem claritatem constituendum quaestionis statum, omniaque momenta et argumenta, quae sive pro, sive contra actionem adferri possunt, unde causae meritum luculenter appareat, et plene cognosci possit. In causis vincularibus inquisitio haec fieri debet per Commissarium e gremio Tribunalis matrimonialis nominandum praesente pro hoc quoque actu adjurando vinculi Defensore et Grafario seu Secretario. Quod si autem domicilium conjugum a sede Tribunalis matrimonialis longius distet, Commissarius in partibus nominandus est, cum substituendo matrimonii Defensore et Grafario, qui instructionem ab ipso Tribunali matrimoniali, et matrimonii penes Tribunal fungente Defensore pro substituto et adjurando defensore elucubratam habere debet non modo relate ad interrogationes conjugibus testibusque proponendas, sed etiam de omnibus instruatur circumstantiis, quarum cognitio ad investigationem, prout expedit, dirigendam requiritur. (§ 140. et 146. Instr.) Commissarius autem ad inquirendum deputatus, antequam ad probationes in forma juris instituendas procedat, adniti debet, ut omnium circumstantiarum, quae ad matrimonii valorem vel nullitatem extra dubium ponendam facere possint adcuratam acquirat notitiam. Hunc in finem pro conditione casus et personarum necessarias percunctationes faciat; post hoc autem partes sive conjuges personaliter praesentes benevole examinet quaestionibus ad eas dirigendis, quibus meritum causae exhauriatur; dein vero si qui praeter

conjuges matrimonium accusarunt et denunciarunt, ad clarificationem omnium circumstantiarum et designandos testes interrogentur, denique testes quoque sine juramento examinentur omnes, qui sive pro matrimonio, sive contra illud producuntur, serie actorum, interrogationibus et responsis protocollo sic dicto Inquisitionis praeviae genuine inferendis. Ad magis eruendam veritatem quoad circumstantias, in quibus enunciationibus denunciantium, aut testium non conveniunt, confrontandi sunt tam conjuges inter se, quam hi cum testibus, imo interdum et testes inter se conformibus interrogationibus ad eos dirigendis, quae una cum responsis pariter protocollo inferendae sunt. Protocollum partibus, denunciantibus et testibus perlegitur, cujuslibet fassio nominis proprii subscriptione, aut si scribere nesciant, signatura crucis † munitur, emendatisque emendandis protocollum concluditur, perque Commissarium et Grafarium adjuratum subscriptione roboratur, (§ 141.) atque Tribunali matrimoniali substernitur, quod aut defectus adhuc suppleri, aut processum probatorium instruendum decernere debet. (§ 142.

*Nota.* Commissarius praeter instructionem a Tribunali acceptam potest imo debet alias quoque interrogationes, quibus responsa sive cunjugum sive testium ansam suppeditabunt, ad majorem rei claritatem libere proponere, sicut etiam ad fidem producendorum vel exhibitorum instrumentorum, documentorum extra dubium collocandam, cavendum autem est, ne interrogationes nimis prolixae sint, et solum ad meritum rei sagaciter restringantur. Aliquando Inquisitio praevia brevis esse potest: v. g. si denunciatio fiat inter Titium et Bertham impedimentum affinitatis in linea recta primi gradus subversari, si id extractibus matriculae baptisatorum eruatur, ulteriori inquisitione opus non est, nunquam tamen haec praevia inquisitio est intermittenda. Porro observandum, quod tam conjuges quam testes aliique concurrentes, ad causae dilucidationem singillatim atque secreto examinandi sint, ususque depositionum in confrontatione prudens faciendus.



## § 200. De citatione partium et testium ad inquisitionem praeviam.

Ad inquisitionem praeviam tam conjuges, quam testes ad comparendum citari debent. Ad substantiam citationis spectant sequentia: Primo exprimi debet nomen judicis, ut appereat de illius commissione, quae non praesummitur. Secundo exprimi debet nomen Actoris ad cujus instantiam proceditur. tertio describendum est nomen citati cum suo cognomine et loco, ne comittatur aequivocatio. Quarto citatio debet esse personalis et, si est scripta, debet tradi ad manus citati, si non est scripta, citatus debet moneri ut compareat coram inquirente. Nuntius debet referre ad manus citati tradidisse citationem, aut monuisse citatum ad comparendum, cujus in Actis mentio facienda est. Si citatus non compareat, pro rerum adjunctis longior terminus pro comparitione est defigendus, si nec tunc compareat, neque se excuset, intentatione censurarum, aut medio Judicii politici eatenus requirendi ad comparendum adstringendus est; si tamen neque sic compareat, convictione ex contumacia in matrimonialibus causis locum non habente procedura continuanda est. Si propter impedimenta citati non compareant, praescribit cap. 8. de test. et attest. „Judex mittere debet examinatorem discretum ad testes recipiendos, qui ad eum commode venire non possunt. Si qui testium valetudinarii et senes vel debilitate confecti aut paupertate depressi, ita, quod non possint ad vestram praesentiam adduci, ad ipsos excipiendos mittatis personas idoneas et discretas.“ Secus ad com-

parendum compellantur (Cap. dilectorum, 10. de test. cogend.:) Testes, qui fuerint nominati, praeterquam super criminibus (si se gratia, odio vel timore subtraxerint) per censuram ecclesiasticam cogatis veritati testimonium perhibere. Testes autem evocandi sunt ad expensas illorum, per quos provocantur. Cap. 11. de rescript. in 6.: Delegatus non debet vocare testes, nisi statu causae requirente, et inducens (seu provocans ad testes) illis administrare debet expensas in veniendo, stando, et redeundo. Idem statuit etiam Bonifacius VIII. Anno 1302. Producens testes, competentes faciat illis ministrari expensas. (Vide Kutschker Tom. V. pag. 785.)

## § 201. De Advocatis in causis matrimonialibus.

Conceditur quidem ut conjuges coram Commissario inquirente Advocatos secum adducant, et antequam declarationem faciant, eorum consilium expetant: verum eae tantum declarationes, quas ipsimet pronunciant, qua ipsorum mentem explicantes protocollo inserendae sunt. Quod si Advocatus proprio nomine quaedam casum matrimonialem attinentia deponat, haec ita excipienda et tractanda sunt, sicut dum non qua Advocatus comparuisset. Advocato negotio se ingerente Commissarius eum loco excedere jubeat. (§ 143. Instr.)

## § 202. De Processu probatorio.

In causis criminalibus atque civilibus, processus probatorius per allegationes et replicas Advocatorum pro A. et I. perficitur, in causis autem matrimonia-



libus juxta Instructionem pro Tribunalibus Imperii Austriaci praescriptam Advocatorum allegationes locum non habent, sed nude jure praescriptis probationis remediis absolvitur. Ad nullitatem matrimonii pronunciandam requiritur plena probatio, contrarium in casum pro valore matrimonii pronunciandum est; hic Instructio § 147. praescribit: Praesumtio stat pro valore matrimonii, impedimentum plene probari debet. Judex ecclesiasticus in causis vincularibus non tantum quod juridice rectum est, sed et quod objective verum est, debet eruderare.

## § 203. De generibus probationis.

Genera seu modi probationis, quibus Judex in cognitionem veritatis venire potest sunt: Confessio, testes, inspectio per rei-peritos, instrumenta, et juramentum.

## § 204. De probatione per confessionem conjugum.

Confessio conjugum post initum matrimonium contra valorem matrimonii facta omni vi caret; ante contractum tamen accusatum matrimonium elicita rejicienda haud est. (§ 148.) Confessio autem conjugum pro valore matrimonii vim probandi in iis tantum casibus habet, in quibus conjugibus adcusandi jus privative reservatum est. Alias praesumtionem tantum generat. (§ 149.) Si conjuges, aut alter eorum ad inquisitionem probatoriam non compareant, non comparitio contra valorem matrimonii nihil probare potest; nec ideo onus probandi matrimonium accusanti incumbens diminui debet. (150.)

## § 205. De probatione per Testes.

In causis matrimonialibus vincularibus ad probandum requiruntur testimonia testium fide dignorum, suspectorum non admittuntur ad probandum, sunt autem testes fide digni, qui et possint dicere veritatem et etiam velint. Inhabiles ad testificandum sunt *a)* ob defectum usus rationis; *b)* ob defectum sensus externi; *c)* ob reverentiam servandam inter testem et illum, contra quem deponit; *d)* ob culpam, propter quam quis privatur facultate testificandi; *e)* ob suspicionem vel timorem falsitatis in teste. Porro inhabilitas alia est totalis, per quam testis rejicitur in totum, alia est diminuta, per quam solum diminuitur fides testis. Suspecti autem et quidem absolute 1) impuberes, in quantum ante decimum quartum aetatis annum nemo ad juramentum admitti potest; 2) Infames et Excommunicati, nisi tolerati sint, prout aliarum confessionum christianarum asseclae. 3) Criminosi, imprimis criminis perjurii rei; 4) pecunia corrupti; 5) qui vitam sceleratam ducunt; 6) plane ignoti. Relative suspecti testes sunt 1) in causa quocunque modo interessati, prout Advocati et Procuratores pecunia conducti quoad causam pro qua conducti sunt; 2) qui peculiari praeplacentia erga aliquam partem feruntur ex qualicunque motivo, sicut cognati et affines, excepto si cognatus contra producentem cognatum testimonium ferat, aut si testis utrique parti aequaliter cognatus sit, vel denique si alii idonei testes ad eruendam veritatem haberi non possunt, v. g. quoad impedimentum cognationis; 3) qui erga partem causantem in correlatione adhaerentiae constituitur, v. g. servi pro hero suspecti testes sunt. 4) Amici, aut inimici partium causantium, nisi, si testis ab inimico statuatur, aut pro inimico testimonium ferat.



## § 206. Peculiares de testium credibilitate in causis matrimonialibus vincularibus praescriptiones.

Instruct. § 152.

Si conjux matrimonium accusans contra tesfem, qui suspectus, imo et respective inhabilis censendus est, exceptionem haud faciat, ipse ad testimonium pro matrimonio ferendum admitti potest. Verum quod conjuges contra testem aliquem haud excipiant, rationem nunquam suppeditat, depositionem ejus contra matrimonium directam pro fidedigna accipiendi.

§ 153.

Relationes, quae praesumtionem fundant, testem pro uno aut contra unum conjugum partium studio agi, eas tantum depositiones suspectas reddunt, quae in commodum vel praejudicium respectivi conjugis cedunt.

§ 154.

Si testis ad utrumque conjugem tales habet relationes, quae praesumtionem partium studii eodem fere gradu generant, relationes hae per se sumtae haud sufficiunt, ut depositio, quae in commodum unius, sed in praejudicium alterius conjugis cedit, qua suspecta habeatur.

§ 155.

Consangvinei conjugum a testimonio pro matrimonio aut contra illud ferendo tum tantum exclu-

dendi sunt, quando ex individua casus natura peculiares oriantur rationes, eos de partium studio suspectos habere.

§ 156.

In dijudicanda credibilitate sonsangvineorum et omnium personarum, quarum ad conjuges relatio partium studii snspicionem inducit, imprimis considerandum est, an conjuges nullitatem matrimonii exoptent, nec-ne.

§ 157.

Omnes ii, de quibus supponendum est, quod circumstantiarum, quae in nullitatis quaestionem influxum exercent, bene gnari sint, etiam tunc audiri debent, quando qua testes repellendi forent, quia depositiones eorum praesumtiones stabilire, ac viam ulterioribus praecludere possunt dilucidationibus. Nota hujus § usus imprimis faciendus est in inquisitione praevia, in qua sine juramento fassiones excipiuntur.

## § 207. De exceptione contra testes.

Non tantum partes, sed etiam vinculi matrimonialis Defensor jus habet contra testes pro matrimonio aut contra illud productos excipiendi (§ 185) ita tamen, ut exceptio fiat antequam productus testis adjuratus sit, post proclamationem enim fassionum exceptio locum non habet (Innocent. III.) nisi *a)* fuerit reservata facultas excipiendi contra personas vel dicta testium; et nisi *b)* causae suspicionis primum post publicationem innotescant.



## § 208. De examine testium in processu probatorio.

In inquisitione praevia etiam illi audiendi sunt, qui secus pro testibus acceptari non possunt, dummodo rei, de qua quaeritur, notitiam habeant, (§ 157. Instr.) in inquisitione autem probatoria nonnisi testes omni exceptione majores, quos admittere nil impedit, (§ 162.) audiendi sunt, qui, cum jurati tantum testis depositio vim habeat legitimae probationis, pvaevie tactis sacro sanctis Dei evangeliis jurare debent, se de interrogationum ad eos dirigendarum objecto veritatem, quomodo eam coram Deo et conscientia compertam habeant, plene ac intemerate, quin aliquid addant, omittant vel immutent, edicturos fore, congrua de jurisjurandi sanctitate admonitione praemissa. Ad hoc jusjurandum a testibus praestandum conjuges, ac, si matrimonium a tertio quodam accusetur, iste quoque, vacandi sunt. Attamen vocatorum absentia impedire nequit quin jusjurandum excipiatur. (§ 163.) Testium autem examen singillatim et secreto est excipiendum. (§ 164.)

## § 209. De interrogationibus ad testes dirigendis.

Interrogationes testibus proponendas Commissarius ad inquirendum deputatus concipiendas habet ratione habita omnium, quae in hucusque gestis emerserunt, nec non punctorum interrogatoriorum, quae a partibus forsan exhibita sunt, et communicatis cum matrimonii Defensore consiliis. Matrimonii Defensor

jus habet, quae ipsi e re esse videntur, superaddendi, aut etiam petendi, ut interrogationes Tribunali matrimoniali adprobandae proponantur (§ 161.) In concipiendis interrogationibus Commissarius rationem scientiae testis exploret, (nam nihil operatur fassio, ubi dicti nulla affertur ratio) an videlicet ex visu vel auditu fateatur? et quare hoc asserat? quo tempore, anno, mense, die, hora ac quibus praesentibus, quo loco, quoties etcet. res gesta sit? an immediate, vel solum mediate et ex alieno ac cujus auditu rem sciat etcet.? Praemittendae autem sunt etiam in hac inquisitione probatoria quaestiones generales. Quomodo vocaris? cujus aetatis, Religionis, status, characteris? ubi domiciliatus? Utrum et in quo gradu cum partibus causantibus cognatus aut affinis? Utrum oppositae parti inimicus, et in quo inimicitia consistat? Utrum ab exitu causae lucrum aut damnum exspectet? in quo lucrum aut damnum consistat? Utrum aliquis indictaverit aut consuluerit quid et quomodo fateatur? Utrum pro fassione nihil adpromissum ipsi sit aut acceperit? Quid et a quo? Sequuntur interrogationes speciales. Observa: necessarium non esse ut in protocollo super investigatione probatoria ad singulum testem interrogationes generales per extensum exscribantur, sed sufficit si id ad testem primum fiat, et quoad reliquos testes adnotetur: testis v. g. secundus ad interrogationes generales respondit: Joannes Szabo 24. Annorum graeco-catholicus, civilis conditionis etc. etc. Terminato autem examine testium in praesentia pro hoc quoque actu adjurati matrimonii Defensoris protocollum ducente Notario pariter jurato testibus perleguntur fassiones, sicut et partibus eorum declarationes, ut si quid mutare velint, modifi-



cent, fassionesque suas nominis subscriptione muniant, dein concluditur Protocollum atque subscriptione Commissarii et Notarii solemnisatur.

## § 210. De vi probandi per testes.

Canones decernunt, ut judicium superstruatur talium testium confessioni, qui circumspecti et omni exceptione majores censeri possunt. Ad ferendam sententiam requiruntur minimum duo testes omni exceptione majores, dicente Alexandro III. Pontifice Anno 1157-o juxta illud Domini: In ore duorum vel trium stet omne verbum. Quia licet quaedam sint causae, quae plures quam duos exigant testes, nulla est tamen causa, quae unius tantum testimonio quamvis legitimo terminetur. Dum autem plures testes pro et contra praesto sunt, juxta Innocent. III. Anno 1200 „Cum igitur hinc plures, inde vero sint testes numero pauciores producti, quos non solum diversa, sed adversa penitus in quibusdam constat testimonia reddidisse; quia etiam ad multitudinem tantum respicere non oportet, sed ad testium qualitatem, et ad eorum deposita, quibus potius lux veritatis assistit, ex quibus motum animi sui convenit judicem informare; (testes non sunt numerandi, sed ponderandi.) Testes autem omni exceptione majores sunt de quibus probatum est eos esse intemeratae probitatis et suppositioni, quasi perjurio conscientiam suam gravare possint, locum haud esse, qui testentur in objecto principali ex immediata experientia. (Vid. Instr. § 165.)

## § 211. De investigatione et probatione per rei peritos.

Ad obtinendam in quibusdam casibus plenam probationem inspectione per fide dignos artis vel rei peritos opus est, de qua inspectione in Decretalibus mentio fit, sive quum agitur de dissolvendo matrimonio ob impedimentum impotentiae (Cap. lit. 7. de frigid.) sive si sponsa post matrimonium ratum ingredi velit monasterium et dubitatur, an a viro cognita sit; item in impedimento vis et moetus, si matrimonium consummatum non esset, aut dispensatio in matrimonio rato et non consummato petenda esset, denique raro etiam relate ad impedimentum amentiae pervestigatione per rei peritos certius ad veritatis cognitionem perveniri potest (cap. 14. de probat). Ad hanc inspectionem vel pervestigationem necessarii per ipsum Tribunal matrimoniale designari debent, qui sint saltem duo scientia et integritate praestantes, ab omnique partium studio vel collusione cum partibus immunes qua testes omni exceptione majores ante actum inspectionis praevie adjurati, contra quos secus eaedem valent exceptiones, quae ipsis, si testes agerent, opponi possent. Rei periti juxta Commissarii ad inquirendum deputati instructionem a vinculi etiam matrimonialis Defensore ad probandam investigationem debitam instituere, atque de resultato scriptum testimonium praestare debent. (§ 166 et 167.) Mulieres solae seu obstetrices adhiberi non debent, partim quod peritiae earum non plene fides dari possit, partim quod juxta Cap. 10. de verborum signif.) varium et mutabile testimonium



semper femina produxerit, saltem unus medicinae doctor adhibeatur cum obstetrice. Et si duo rei-periti omni exceptione majores relate ad praetensum impedimentum impotentiae unanimes declararent, impotentiam esse, insanabilem et absolutam ipsamque matrimonium praecessisse pars cujus impotentia asseritur petere potest, ut tertius quoque rei-peritus adhibeatur. Si autem impotentia tantum pro respectiva declaretur, conspirans saltem trium reiperitorum consultum ad probationem plenam requiritur. (§ 174. Instruct.)

## § 212. De probatione per instrumenta.

Probatio, si per authentica litteraria instrumenta fiat, praevalet probationi per testes factae ;unde tritum illud: contra authenticum litterale instrumentum humanum testimonium non admittitur, (ob praesumtionem juris et de jure, quae nonnisi evidentibus argumentis possit everti Cap. 10. de fide instrum. ut si sufficienter probaretur Notarium v. g. in instrumento subscriptum anno dati jam fuisse mortuum.) Unde probatio per testes seu testimonia humana nonnisi in defectu litteralium authentice confectorum documentorum per alterutram partem produci nequeuntium in jure foroque contradictorio locum obtinet. Sunt antem instrumenta literaria, documenta, et quidem publica, a persona publica i. e. publica auctoritate ad exarandum et expediendum documentum auctorisata, talia documenta publica sunt libri matriculares parochiarum, sententiae per Notarios publicos judiciorum exstradatae etcet. vel privata documenta, quae non publica auctoritate sed a personis privatis exarantur. Porro documenta sunt vel orginalia, scri-

pta ab iis, quorum subscriptionem exhibent, aut copiata, seu ex orginalibus descripta transumta. Documenta publica relate ad facta, de quibus sonant, plenam probam efficiunt, qui contradicere his vult, supposita eadem esse demonstrare obligatur. Suppositum vel falsificatum esse aliquod documentum publicum verificari potest testimonio officii, a quo illud documentum emanavit, quod partibus erga recursum expediri debet. Documenta privata, documenta de facto circa quod auctor interessatus non est, sola nunquam, sed solum cum aliorum testium fassionibus conferunt ad probandum (Confer. Kutshker V. Band. pag. 872. et 873.) Instrumenta autem debent judici in origine exhiberi, quorum genuinitas si in dubium vocetur, in quantum contra matrimonii valorem producta essent, eadem depositionibus conjugum aut talium personarum, quae qua testes aut suspectae aut inhabiles reputari deberent, probari nequit. (§ 168. Instr.)

## § 213. De juramento conjugum ad probationem.

Juramentum est legis remedium suppletorium ac subsidiarum, eo quod propter probationum inopiam adhibetur, quod in unico casu per conjuges depositum plenam probationem efficit, videlicet: quando aut probatum sit, matrimonium nondum consummatum esse, aut nullitatis declarandae petitio intra tres a matrimonio contracto annos proponatur, simulque impotentiam adesse, non tantum ab utroque conjuge asseveretur, sed etiam a duobus rei peritis fide dignis qua valde verisimile adstruatur, tali casu si conjuges per triennium vitae consortium continuaverint, et tamen matrimonium consummare non possint, renovata



divortii petitione juramentum a conjugibus de existentia impotentiae praestitum plenam probationem efficit (Instr. § 175.) secus, jusjurandum a conjugibus praestitum aeque ac eorundem confessio probationem de impedimento obtinente suppeditare aut supplere nequit. (169. Instr.) Pro matrimonio autem juramentum conjugis matrimonii valorem asserentis qua probatio admitti potest, si impedimenti natura prohibeat ne ex officio procedatur. (§ 171. Instr.)

In quantum vero ad probandam circumstantiam, a qua jus matrimonium accusandi dependet, jusjurandum conjugis matrimonium accusantis admitti possit, tribunal matrimoniale in singulis casibus perpendendum et decernendum habet. (§ 170. Instr.) Cujus usus fieri potest relate ad impedimentum ligaminis, dum jus accusandi matrimonium parti tantum innocenter impedimentum ignoranti competit (Kutshker Tom. III. § 129.) item relate ad impedimentum vis et metus, dum jus accusandi matrimonium vim aut metum passo tantum tunc competit, si juri huic, cessante vi et metu per spontaneam cohabitationem aut copulam affectu maritali continuatam non renunciasset; insuper relate ad consensum conditionatum in matrimonium. (Idem § 245.) denique relate ad jus accusandi in matrimonio per procurationem contracto. (Idem § 248. Nro. 2.)

## § 214. De conclusione processus probatorii.

Instructio pro Tribunalibus praescripta quoad conclusionem processus probatorii § 176. praescribit: „Absoluto processu probatorio conjuges et quicunque „matrimonium adcusaverit, nec non Defensor matri-

„monii monendi sunt de eo, quo pollent jure, in hu- „cusque acta animadvertendi. Exceptiones si quas „habeant intra octiduum proponant. Ratione quidem „domicilii interessatorum terminus quidem hic pro- „longari potest, ita tamen, ut major quam necessaria sit mora non concedatur.“ Item § 177. Et tribunal matrimoniale et matrimonii defensor ex offiicio eas possunt ordinare investigationes, quae ad proceduram quoad probationes complendam necessariae ipsis videntur; quibus intra praefixum terminum praestitis processus pro concluso, et causa pro sententia ferenda matura et qualificata pronunciatur.

*Nota.* Cum sententiae in causis matrimonialibus vincularibus nunquam abeant in rem judicatam, quando-cunque liberum est, etiam post latam in foro appellatorio quoque sententiam, idoneas probas pro valore matrimonii producere.

## § 215. De sententia in causis vincularibus.

Concluso processu probatorio, praestitisque omnibus de jure et instructione praestandis, atque tam partibus quam vinculi matrimonialis defensore causam pro ferendo finali judicio submittentibus, tribunal matrimoniale ad pronunciandam sententiam finalem controversum matrimonium validum aut invalidum esse procedere debet, hocque scopo inrotulatis actis seu in unum corpus causae redactis appositoque numero rotuli in protocollo exhibitorum, per Praesidem designatus Referens, qui communiter commissarius tribunalis ad inquirendum deputatus, seu qui processum probatorium instruxit esse solet, extractum causae conscientiose elaborare debet, atque in sinistra parte sive latere filirae votantis essentialem complexum pertractatorum, et probationum quoad singulum factum productarum cum praecisione exhibere. Essentiale in hoc extractu causae est totum id, quod pro examine projecti sententiae momentosum est. Sed non tantum producta facta, verum contrariae vel oppositae partis contradictiones, insuper loca decisiva documentorum, et instrumentorum extractu causae comprehensa esse debent, per quae votantes consiliarii in statum constituantur causam ita fundate dijudicandi, ac si omnia causae acta soli perlegissent. Extractui causae dein subnectit Referens projectum sententiae et suum votum, suoque nomine subscribit.



*Nota:* Referens quidem obligatus est omnia argumenta momenta et motiva contra valorem matrimonii in claram lucem constituere, sed etiam eadem argumenta stricte examinare, atque sic matrimonium contra omnem arbitrariam impetitionem protegere. (Kutshker Tom. V. pag. 926.)

## § 216. De modo enunciandi sententiam vincularem.

Causae Referens elaboratum suum sive extractum causae et projectum sententiae in plena sessione tribunalis matrimonialis praelegit, ipsa autem provocata documenta unus e reliquis tribunalis assessoribus aut quoad decisiva loca tantum, aut vero ad postulatum praesidis et cujuscunque cojudicis per extensum perlegere debet. Idem obtinet etiam quoad depositiones seu fassiones testium. Nec praeses nec etiam cojudicum aliquis interloquatur, aut votum suum antequam ordo ad illum veniat depromat, sed Referens usque dum referadam terminaverit cum attentione est audiendus, et postmodum si quis clarificatione opus habeat, poterit a Referente postulare. Post haec con-

*

siliarii per Praesidem juxta dignitatem priores ad vota sua depromenda provocantur, et conclusum cum Episcopo communicatur. Quod si votum Referentis acceptatum et probatum est sive unanimiter sive per majoritatem, conclusum ad referadam Referentis adscribitur, videlicet: Voto Referentis tribunal accedere, seu votum ad conclusum elevatum esse, adnotata die sessionis et membris tribunalis praesentibus, cum observatione unanimiter vel per majoritatem, quae observatio per Praesidem et Protocollistam subscribenda est. Quod-si conclusum non unanimiter latum sit, in filira votante Referentis clare et determinate adnotandum est votum per singulum consilarium depromtum una cum argumentis et motivis pro eo propositis, nec reticendum est cui voto praeses accesserit. Conclusum ipsum in eadem filira Referentis exhibendum est cum provocatione ad motivationem singulorum votorum, et observatione, quae motiva et rationum momenta pro determinantibus per majoritatem acceptata sint. Cuilibet consilario jus est suum votum cum motivis scripto exhibendi et praetendendi ut illud actis adnectatur.

In protocollo sessionis, in cujus exordio Tribunal, dies sessionis, praeses et consilarii adferendi sunt, solum numerus causae, cum designatione partium causantium, objecti, et circumstantiae quod conclusum sive sententia unanimiter, aut per vota majora pronunciatum sit adnotatur. Quod si minoris momenti modificationes fieri debeant, emendatio et correctio per Referentem fieri debet, si autem causa principalis contra Referentem decisa sit, aut vero totum operatum Referentis novitus elaborandum veniat, hoc novum elaboratum cum determinantibus motivis



illi consiliario commitendum est qui primus contra projectum Referentis votum depromsit. (Kutshker Tomo V. p. 927. et 928.)

## § 217. De sententiae notificatione et communicatione.

Sententia partibus per apparitorem dimissa etiam copia notificatur; de quo peracto fides in scriptis facienda erit (Instr. § 195.) Loco apparitoris, potest etiam alteri commissionato tribunalis, uti parocho, notificatio et communicatio vel traditio parium sententiae committi, qui eatenus tribunali scriptam relationem praestare tenetur; necessaria est haec sententiae communicatio ideo quoque, ut partes de tenoribus sententiae latae edoctae jure suo intra admissum terminum remedium apellationis interponendi uti possint.

## § 218. De remedio contra sententiam vincularem, de Appellatione.

Remedium contra sententiam vincularem est appellatio a judice inferiori ad superiorem. Apellatio admittenda est, donec matrimonii validitas per duas aut ejus invaliditas per tres sententias conformes pronunciata sit. Duabus sententiis pro matrimonio et duabus contra illud militantibus, matrimonium pro valido tenendum est. Pro apellationibus sequentes regulae inserviunt: 1) Prima instantia sententiam pro validitate ferente, matrimonium accusans ad secundam instantiam appellare potest. Quodsi validitas in secunda instantia confirmetur, nulla amplius appellatio locum habet. Si matrimonium in secunda in-

stantantia pro invalido declatetur, matrimonii defensori incumbit, ex officio ad tertiam provocare instantiam. Si tertia instantia pro matrimonii valore judicat, ulterior haud obtinet appellatio. Quando autem contra valorem decernat, defensor matrimonii petere debet, ut quarta constituatur instantia, pro cujus sententia matrimonium vel validum vel invalidum reputetur oportet. 2) Si prima instantia matrimonium invalidum declaret, matrimonii defensor ex officio appellare debet. Si secundae instantiae judicium pariter invaliditatem pronunciet, defensor matrimonii, nisi prostantes invaliditatis probationes omne dubium secludant, causam ad tertiam instantiam deferre tenetur. Invaliditatis sententia per tertiam quoque instantiam lata, ulterior appellatio institui nequit. Si validitatem ea pronunciet, actori liberum est petere, ut quarta constituatur instantia, et hujus sententia qua finalis habenda est. 3) Quando in prima et tertia instantia adversus matrimonium, in secunda autem pro eo sententia fertur, matrimonii incumbit defensori, quartam petere instantiam. 4) Appellatio a defensore matrimonii interposita ex sua natura parti simul prodest, quae pro matrimonii validitate agit. Liberum nihilominus ipsi est, eamdem apellationem independenter a matrimonii defensore interponere; consultum tamen, ut cum eo hoc de negotio consilia conferat. 5) Relate ad appellationes, quas interponere defensor matrimonii muneris sui ratione obligatur, nulli habentur dies fatales. Si intra terminum praescriptum appellationem haud insinuet, judicium, a quo appellare debet, ipsum, ad officium suum implendum compellat, vel pro casus ratione etiam ad Episcopum ea de re referat et proponat, ut matrimonii defensio alii viro omni ex parte habili con-



credatur. Instr. § 179—184.) 6) Appellatio apud tribunal, contra cujus sententiam directa est, intra decem a sententia communicata dies annuncianda venit; tribunal vero intra triginta dies, qui pariter ab intimatione peracta computandi sunt, acta ad instantiam superiorem mittere debet. Pars appellans ea de re certior reddatur et commoneatur, quod intra triginta ab intimata hac injunctione dies gravamen ad judicem, ad quem appellatio secundum juris ordinem interponenda est, deferre teneatur. Supplicatio de longiori tempore concedendo tribunali, cujus sententia impugnatur, proponi debet; nec ei absque gravi causa annuendum est. Si pro rerum adjunctis necessarium sit, ad Sedem Sanctam preces de delegato nominando dirigere, tribunal, quamprimum de nominatione peracta notitiam ex officio nactum sit, ad actorum transmissionem absque ulla mora procedat. (Instr. § 102.)

## § 219. De ordine Instantiarum.

Appellatio ab Episcopo dioecesis ad Metropolitam provinciae ecclesiasticae, a Metropolita vero ad Sanctam dirigitur Sedem. Idem locum habet, quando res secundum legis ecclesiasticae tenorem ad quartam instantiam devolvi potest vel debet. Causae, quas Metropolita vel Episcopus exemtus in prima instantia cognovit, in secunda quoque a Sede Apostolica judicatur. (§ 101. Instr.)

## § 220. Modus procedendi in superiori Instantia.

Judex, qui in superiori instantia sententiam fert, non tantum in inferioribus instantiis gesta diligenter

examinet, sed etiam omnia peragat, quae necessaria ducit, ut defectus suppleantur, dubia dilucidentur et errores corrigantur. Hunc in finem conjuges examinare, de instrumentis ad probandum productis investigationes instituere ac testes, a quibus novas informationes sperat, audire potest. Experimenta tamen per rei peritos facta, tunc tantum iterari debent, quando indiciis praesumtionem gravem generantibus probabile reddatur, aut errorem aut partium studium intercessisse. Tam partes quam defensor matrimonii jus habent, in superiori instantia novas probationes afferendi. (Instr. § 185. et 186.)

## § 221. De nullitate sententiae et procedura relate ad eam.

Sententia nulla est, si a judice haud competente lata vel actus judicii essentialis aut prorsus omissus, aut quin matrimonii defensor adhiberetur, institutus fuerit. Attamen valor sententiae a judice superiore latae ideo, quod inquisitionem ulteriorem habere necessarium haud duxerit, sed secundum allegata causam deciderit, impugnari minime potest. (Instr. § 187.) Nullitatis actio intra tempus appellationibus praefixum coram judice proxime superiori instituenda est quumve conjuges exceptionem incompetentiae intra decem a citatione intimata dies proponere debeant, (§ 103.) jure exciderunt sententiae latae nullitatis assertionem obgerendi, superior tamen judex sententiam propter competentiae defectum ex officio irritam declarare potest. (§ 189.) Sententia de nullitatis actione lata appellationem haud admittit. (190.) Processus pro nullo declaratus coram eodem judice aut,



quando ob competentiae defectum irritatus sit, coram judice pro competente pronunciato forma debita iterandus est. (§ 191.)

## § 222. De convalidatione etiam post sententiam nullitatis matrimonii latam tentanda.

Etiamsi matrimonium irritum esse, tribus conformibus sententiis enunciatum sit, si tamen impedimentum ejusmodi sit, ut renovatione consensus, aut impertita dispensatione e medio tolli possit, Episcopus, nisi gravis causa contrarium svadeat, agere debet, ut matrimonium convalidetur. Si autem natura impedimenti dispensationem excludat aut conamen adducendi convalidationem, effectu careat, nullitatis matrimonii sententia partibus annuncianda est, atque partes prohibendae sunt, ne amplius sibi cohabitent. (§ 192. et 193.) Sententia autem cum Gubernatore provinciae communicanda. (§ 195.)

## § 223. Sententiae definitivae effectus juridicus.

Sententia de matrimonii valore dicta nunquam in rem judicatam abit. Si post temporis probetur, eam suppositione erronea niti, causa denuo in jus vocanda et forma debita pertractanda est. Si contingat, ut sententia matrimonii nullitatem pronuncians retractetur, eo ipso matrimonia cuncta, quae conjuges intermedio forsan tempore inierunt, pro irritis declarata sunt. (§ 196.) Excepto casu, de quo § 196. agit, inquisitio de matrimonii valore tum tantum quando sententia primae instantiae irrita declaretur, tamquam de novo iterum institui potest (§ 197.) Ille, cujus im-

potentiae pro absoluta et insanabili declaratae sententia nullitatis innititur, ad nuptias ineundas admitti nequit. Quando postea quomodocunque pateat, eum ad matrimonium consummandum aptum esse, redintegratur conjugium prius ab eo initum (§ 198.) Per se liquet, conjuges antequam finalis nullitatis sententia lata sit, ad novum contrahendum matrimonium nullatenus admitti debere. Quamvis autem conjunctio ante sententiam finalem inita nunquam non illicita valde sit, immo iisdem ac polygamia poenis ecclesiasticis subjaceat, tamen, si processus, qui agitatur, nullitatis declaratione terminetur, nec aliud quidpiam praepropere copulatis obstet impedimentum, pro vero reputari debet matrimonio. (§ 199.)

## § 224. Instructio processus matrimonialis ad separationem a thoro et mensa.

Cum conjuges religiosam habeant obligationem in conjugalis vitae consortio mutuum sibi adjutorium praestandi, evidens est ab hac obligatione se ipsos non, sed solum per Eclesiam virtute potestatis ligandi et solvendi eidem divinitus data dispensari posse. Dispensatio proinde ab obligatione ex vinculo matrimoniali derivata conjugale adjutorium praestandi, et hoc scopo consortium conjugale continuandi est separatio a thoro et mensa, ad quam impetrandam peculiaris processus instructio praescripta est. Qua de re concilium provinciale graeco-catholicorum Maronitarum de Anno 1736. decrevit: „Ubi contigerit, thori „separationem invito altero conjuge fieri debere, ut „propter adulterium vel saevos mores, aut vitae vel „animae periculum, praecipimus, ut id non privata „alterius conjugis auctoritate fiat, sed ex sententia



Episcopi.“ Est autem separatio a thoro et mensa alia perpetua, si fiat ad tempus vitae; alia temporaria, si fiat ad tempus indeterminatum. Separatio perpetua pronunciari potest ex unica causa adulterii, cujus effectus est, ut maritus ad recipiendam adulteram uxorem etiamsi subsecuta ejus emendatione nunquam compelli possit, nisi et ipse simili fornicatione pollutus fuerit, temporaria autem separatio ex pluribus causis ad tempus subsecutae emendationis vel morbi malive sublati conceditur.

## § 225. Causae separationis quoad thorum et mensam.

Causas separationis quoad thorum et mensam Synodus graeco-catholicorum Maronitarum sequentibus expressit: „Praeter fornicationem seu adulterium, „in quo casu conjugi innocenti licitum est nocentem „a thoro dimittere, sunt quaecunque crimina, ex qui- „bus aut salutis animae, aut sanitatis corporis, aut „vitae, aut saevae cohabitationis periculum timetur.“ Qua de re Instructio pro Tribunalibus austriacis praescripta sequentia continet: „Conjuges ad vitae con- „sortium eatenus tantum obligantur, quatenus id ab- „sque animae, vitae vel sanitatis periculo continuare „possunt. Quod si conjux a fide christiana deficiat, „quod si alteram partem ad defectionem a fide ca- „tholica, ad vitia vel crimina sollicitet, quodsi inju- „riis realibus vel insidiis vitam ejus et sanitatem in „periculum adducat, quodsi ei acerbiores animi affli- „ctiones per longius tempus intentet, etiam quando „malo corporali diuturno contagiosoque laboret, alteri „parti supplicatione proposita concedendum est, ut „a thoro et mensa separetur, usque dum conjugale

„vitae consortium, quin periculum saluti suae aeter-„nae vel temporali immineat, renovare possit. (§ 208.) „Conjux, quem altera pars malitiose deseruit, sepa-„rationem a thoro et mensa petere potest, usque dum „desertionis reus animum ad officia conjugalia adim-„plenda paratum sufficienter probaverit. (§ 209.) Etiam „propter tales officiorum transgressiones, quae juri-„bus bona temporalia attinentibus, vel honori civili „alterius conjugis grave afferunt detrimentum, aut „urgens parant periculum, temporalis a thoro et „mensa separatio pronuntiari potest.“ (§ 210.)

## § 226. Actio de separatione a thoro et mensa.

Dum in causis vincularibus praeter conjuges alii quoque actores esse possunt (§ 115.) immo ipse judex ex officio agere, in causis separationis quoad thorum et mensam soli conjuges legitimi actores sunt, qui tamen prius propositum suum suscitandae actionis suo parocho insinuare debent, hicque utramque partem coram se evocabit, et cuncta, quae lex Dei et foederis conjugalis dignitas suppeditat motiva graviter simul et amanter adhibebit, ut conjugale vitae consortium intactum servetur. Si animos conciliare non valeat, secundo et tertio id ipsum octiduo saltem quavis vice interposito efficere conetur. Tertium tamen omitti potest experimentum, quando animorum exacerbatio successus spem adimat, aut in patulo sit, actorem vitae consortium continuare non posse, quin aeternam aut temporalem salutem urgenti exponat periculo. (§ 211.) Si reus comparere recusat, parochus jus habet, eum magistratus civilis interventu ad obedientiam praestandam compellere. An autem praesentia coactione obtenta finem juvare possit, secundum rerum adjuncta dijudicandum erit. (§ 212.) Quodsi parochus frustra pacificationem tentavit, Praesidi Tribunalis matrimonialis desuper referat, et casu, quo tertium experimentum ad pacificationem intermisisset, hujus quoque rationem reddat, cum opinione sua, an et quatenus gravamina allata ipsi fundata videantur. (§ 213.)



## § 227. Libellus Actionalis.

Libellus actionalis est separationis a thoro et mensa decernendae petitio sive scripto, sive verbo ad protocollum tamen assumta, exhibens causam, ex qua actor se jure vitae communionem tollendi pollere arbitratur, cum indicatione praestandae probationis mediorum. In libello actionali simul exponendum est tempus, cujus hucusque lapsu matrimonium duravit, et quodsi liberi ex eo procreati sint, numerus eorum et aetas.

## § 228. Inquisitio praevia.

Quam primum Libellum actionalem ad separationem quoad thorum et mensam Tribunal matrimoniale sive immediate, sive a Commissario perceperit, nisi rationes aperte insufficientes sint, investigationem praeviam per deputandum ad eam Commissarium ex judicibus Tribunalis, aut si partes a loco Tribunalis disitae forent, per alium idoneum ecclesiasticum virum peragendam decernere debet. Conjuges ad hanc praeviam inquisitionem personaliter comparere tenentur. Advocatorum qua consultorum opera uti quidem pos-

sunt, sed sicut in processu vinculari eae tantum enunciationes, quas conjuges ipsi faciunt vigorosae esse possunt. (§ 216. et 217.) Commissario ad inquirendum deputato semper etiam Secretarius ad protocollum ducendum adjungatur. (§ 214.)

## § 229. Procedura in inquisitione praevia.

Ante omnia tentandum est, an negotium absque probationibus in rigore juris talibus terminari possit. Conjuges singuli benevole examinari atque tum sibi invicem confrontari debent. Cuilibet parti assertiones alterius una post alteram ordine, quem successio temporis vel nexus inter causam et effectum indicat, proponendae sunt, et instandum ut praecise respondeat. Si una pars ad instrumenta privata provocet, altera interroganda venit, an eadem genuina agnoscat? Testes, quos partes nominaverint, in quantum adhiberi possint, examinandi ac si necessarium videatur, sibi invicem nec non conjugibus confrontandi sunt. (§ 218.) In hac inquisitione praevia qua testes tales quoque admittantur personae, quarum depositiones probationem judicialem fundare non possent, apud quas tamen accurata factorum, de quibus quaestio versatur, notitia merito supponitur. (§ 220.) Immo Commissario ad inquirendum deputato competit, etiam personas, ad quas qua testes partes non provocarunt, quarum depositionibus quaestionem facti dilucidatum iri sperat, interrogare. An conjugibus confrontari debeant, prudenti ejusdem judicio relinquitur. (§ 220.)



## § 230. Pertractatio causae post praeviam inquisitionem.

Protocollum de inquisitione praevia exceptum Tribunali matrimoniali proponendum est, et quando, ad quae actor provocavit, per confessionem rei vel per instrumenta, quae omnem exceptionem excludant, extra dubium jam posita sint, Tribunal matrimoniale ad sententiam ferendam procedit; secus, processum probatorium instituendum decernit (§ 221.) Reo, si postulet, petitionis ab actore scripto propositae vel actorum, in quae oretenus facta petitio actoris redacta sit, copia extradanda et terminus statuendus, intra quem responsum vel scripto exhibeat, vel in acta redigendum viva voce praestet. Alias separationis pronunciandae petitio ipsi praelegatur, et quae ad se, et conjugale vitae commercium tuendum adtulerit, in acta redigantur, sive ad protocollum assumantur. (§ 222.)

## § 231. Processus probatorius in causis separationis quoad thorum et mensam.

Dum in causis vincularibus de eruenda veritate quantum humanitus fieri potest objectiva, et animae salute agitur, ideoque in iis processus probatorius strictissimus esse debet; in causis separationis a thoro et mensa cum tantum de justitia legali et jure personali sermo sit, processus probatorius non tantopere strictus esse potest, ideo juxta § 223. Instructionis: Admittendi sunt etiam testes, quibus ea, contra quam deponunt, pars exceptiones haud obgerit, etsi aliunde

qua suspecti vel inhabiles repelli deberent. Quaestiones pro examine testium concipit sicut in causis vincularibus Commissarius ad inquirendum deputatus ratione habita punctorum interrogatoriorum, quae partes forsan obtulerunt. Quoad jusjurandum testium procedendum sicut in causis vincularibus (§ 225. et 226. Instr.)

## § 232. Inquisitio per reiperitos.

Reiperiti, quorum consultum necessarium forsan sit, a Commissario ad inquirendum deputato seligendi sunt; de exceptionibus eis oppositis Tribunal matrimoniale decernit. Rei periti adjurati esse debent, saltem dum munus auspicati sunt, juramento deposito se ad veritatem in consultis dandis sancte servandam obstrinxerint. (§ 227.) Per depositionem conformem duorum testium juratorum, et fide dignorum, nec non per consultum conforme duorum reiperitorum fide pariter dignorum plena probatio efficitur. (§ 228.)

## § 233. Adulterium probandi modus.

Adulterium est omnis species luxuriae, in qua conjux vere dividit carnem suam cum alio vel alia, et libere quidem ac voluntarie, idque sive per copulam naturalem, sive per copulam sodomiticam vel bestialem perfectam; idest, sive per commixtionem, vel congressum naturalem, sive contra naturalem cum hominibus, quod est sodomia, vel cum animalibus, quod est bestialitas, quia in omni casu violat adulter fidem matrimonii carnem suam in alium vel aliam dividens, unde oritur jus separationem petendi. Adulterium autem debet esse perfectum, seu consummatum per seminationem in alio, per quam fit carnis divisio. Porro adulterium debet esse formale, seu illud committenti imputabile. Non est autem imputabile *a)* si uxor probabiliter credens, virum decessisse, alteri nubit (can. cum per bellicam C. 34. qu. 2.) Nam tum non est adulterium formaliter, et culpa vacat, nisi conjux de vita prioris conjugis certificatus stetisset in secundo illo matrimonio, debitum reddens aut petens, quia tunc jam vere reus est adulterii. Idem dicendum, si conjux jam dubius de prioris vita (ante adhibitam sufficientem diligentiam) petit debitum. Nam cum illa copula sit spontanea, non vacat adulterii culpa. *b)* Si uxor fuit violenter cognita seu vi oppressa (can. ita, et Canon proposito, C. 32. qu. 5.) metus non sufficit ad excusandum vel non imputandum. *c)* Si conjugi commisceatur alter sub mariti specie latens et bona fide ex parte conjugis (Can. in lectum, C. 34. qu. 2.) Ad probandam hanc conjugis bonam fidem sufficit ejus juramentum, habito respectu ad ejus honestatem et alias probabiles conjecturas. *d)* Si matrimonio ab infidelibus inito datoque libello repudii conjux dimissus ad aliud transeat matrimonium, non poterit repudians objicere conjugi repudiato consummationem illius secundi matrimonii, quae adulterium est, quo ab illo divertat (cap. gaudemus, de divort. in fin.) quia infideles existimant matrimonium solvi per repudium juxta illorum ritus celebratum ac subinde ratione ignorantiae excusatur copula illa ab adulterio. Idem valet de repudiante; nam uterque conjux se legibus matrimonii solutum existimat. Probatur autem adulterium perfectum et imputabile per propriam partis adulterae confessionem; per prolem

ex adulterio natam; per factam in actu adulterii deprehensionem; idoneos testes; per instrumentum v. g. sententiam judicis criminalis; imo ad ferendam separationis sententiam juxta § 229. Instructionis sufficiunt etiam praesumtiones violentae. Facta vero, quibus praesumtiones hae innituntur, juxta normas processuum in delictorum causis attinentes probanda veniunt. Non sufficit autem de hoc (adulterio perfecto) aliquam tantum habere probabilitatem, sed requiritur, ut talis adsit praesumtio (suspicio vehementissima) ut fundet moralem certitudinem; sic non sufficit unicum testimonium ejus, qui gloriabatur cum Reaconventa vel accusata habuisse commercium carnale; nec sufficiunt tactus, amplexus, et oscula; sed ad gravem praesumtionem requiruntur circumstantiae conjunctae, sic non solum quod per idoneos testes visa sit mulier sola cum solo, sed etiam nuda cum nudo et in lecto (Cap literis, 13. de praesumpt.)

## § 234. De conditionibus stabiliendi actoratus ad separationem perpetuam ex capite adulterii.

Principium generale quoad stabiliendum ex capite adulterii actoratum ad separationem, est: Actor ipse non commiserit adulterium, neque ipse fuerit causa directa adulterii per alterum conjugem perpetrati, neque etiam commissum adulterium condonaverit, secus actoratus stabiliri nequit. Ex praemisso principio generali fluunt speciales sequentes regulae 1) Conjux conjugem de adulterio impetere non potest, si et ipse adulterium commisisse convincatur. 2) Non potest impetere conjugem suam ob adulterium, qui ad adulterium per conjugem perpatrandum cooperatus est, sive svadendo sive consentiendo, item non impediendo et non contradicendo cum sciret et posset (cap. significasti 4. de divort.) volenti enim nulla fit injuria. 3) Si vir indirecto quidem modo uti, si uxorem suam domo injuste expellat, deserat, alimenta deneget, aut secus eam male tractet cum intentione comprobabili per hoc alterum conjugem ad adulterium disponendi. 4) Ob adulterium condonatum pariter jus agendi amittitur, etiamsi condonatio tantum tacite facta fuerit, sive per continuationem convictus conjugalis etiam postquam ad notitiam adulterii perpatrati pervenit.



## § 235. De compensatione relate ad adulterium.

Jus agendi propter adulterium cessat si per compensationem adulterium aboleatur, qua de re sequentes statuuntur regulae 1) si contingit ante latam separationis sententiam utrumque conjugem adulterari, neutri licet ab alio divertere, sed mutua compensatione ambo adulteria abolentur. Delicta autem ad compensationem debent esse pariter liquida, ad divortium sufficientia adeoque paria, etiamsi fornicationes non essent ejusdem naturae, sed altera naturalis (adulterina) altera contra naturam (sodomia), compensationi, non autem separationi locus est. Nec refert, uter conjugum prius sit lapsus in adulterium. 2) Si prius adulterium conjugis sit condonatum ab altero conjuge innocente, et post condonationem innocens labatur in adulterium, compensatio non obtinet, sed potest prior conjux cui condonatio facta est, ad separationem procedere, nec potest posterior exceptione condonati adulterii uti. 3) Compensationi non obstat, si alter conjux plura adulteria, alter vero unum solum admi-

*

serit. Nam cum uterque fidem fregerit, delicta censentur paria, quae relate ad jus procedendi mutuo se elidunt. 4) Si adulterium alterius conjugis sit occultum et soli Deo cognitum, alterius vero publicum, nequit adulter occultus divortium seu separationem petere, sed tenetur compensare adulteria (Conf. Kutschker Tom. V. § 397—399.)

## § 236. Modus procedendi in causis separationis ob adulterium spirituale.

Cum scopus matrimonii sit mutuum adjutorium non tantum in necessitatibus corporalibus, sed etiam spiritualibus, contra finem matrimonii agit et fidem conjugalem frangit quicunque se hostem animae suae conjugis exhibet sive per defectionem a Catholica religione, sive per crimina et graviora delicta et tentamen conjugem quoque suam ad eadem alliciendi aut pertrahendi. Hoc modo fracta fides conjugalis adulterium spirituale nominatur. Ex causa tamen adulterii spiritualis perpetua separatio, (ex unica et sola causa adulterii corporalis per salvatorem permissa) non obtinet, sed solum separatio temporalis, quae cessante causa pariter cessare debet; cessante periculo perversionis, conjuges conjugale consortium restituere debent.

## § 237. Modus procedendi in causis separationis propter saevitiam conjugis.

Conjuges ad vitae consortium eatenus tantum obligantur, quatenus id absque animae, vitae, vel sanitatis periculo continuare possunt (§ 208. Instr.) Integrum est ideo conjugi separationem petere ob saevitiem tantam, ut absque gravis damni periculo non possit cum illo habitare, donec conjux saeviens sufficientem securitatis cautionem per pignora, fidejussores vel juramentum praestet, si tamen tali cautioni fides dari possit, ut omne periculum pro futuro aversum sit. Summus gradus saevitiei est vitae alterius conjugis insidiatio, seu tentamen veneno vel alia via alterum conjugem perimendi. An verberatio sufficiens sit causa separationis, a circumstantiis dependet; sola verberatio praeterita justam separationis et cautionis petendae causam non praestat, sed requiritur etiam timor fundatus futurae malae tractationis. E mente Benedicti XIV. si maritus graviter et cum excessu uxorem verberibus saepe corripiat, ipsa, quae ratione simplicis loquacitatis non praebet marito rationabilem causam eam graviter verberibus corripiendi, jus habet separationem a marito petendi. Si vero maritus leviter tantum eam verberet, prout habita ratione personae, conditionis et status id judicat pro ejus emendatione opportunum, uxor non habet jus separationis a marito, cum idem jure possit uxorem ratione nimiae loquacitatis etiam moderatis verberibus castigare. Ideo discedens a marito ad redeundum compellenda est. Eo minus autem minae sufficientem separationis petendae causam constituunt, nisi minans solitus sit eas exequi, (dependet itaque res ab arbitrio judicis considerato minantis ingenio et minandi modo. Observandum porro est, quod non tantum saevitia viri, sed etiam parentum viri justam petendae separationis, aut cautionis causam constituat. Utrum autem verberatio aut saevities fuerit gravis, quae etiam tunc causam separationis constituit, si uxor per adulterium eam provocasset, atque fundate porro quoque metu-

enda, per judicialem causae cognitionem determinari debet, ad quod determinandum non sufficit allegare timorem, aut etiam jurare; nam non solum timor, sed justa etiam timoris causa est probanda, et quidem testibus omni exceptione majoribus, nisi evidenter causa suspicionis timoris pateat (ut in Can. de Benedict. C. 32. qu. 5.) In casu tantum dum est periculum in mora, vel non est facilis ad judicem accessus ante judicialem causae cognitionem potest conjux periculum ob alterius saevitiem timens, propria auctoritate recedere a saevo, vel illum expellere, secus causa prius per judicem cognoscenda est. Tribunal matrimoniale exhibito sibi libello actionali ad separationem ex capite saevitiei mox petit informationem testium eam probantium, qua praestita, si sufficiens sit, continuo sententiam interlocutoriam pronunciat, qua jubet uxorem in loco tuto durante lite deponi, et sub poena excommunicationis jubet viro et ejus parentibus, ne illi malum inferant, et moderatur expensas litis sicut et alimenta uxori praestanda (§ 236. Instruct.) Et quamvis separatio absque adversae partis citatione fieri nequeat (Cap. 1. de causa posses nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire): at separatio ad tempus quo discordia durat et lis agitatur, solam informationem summariam postulat.

## § 238. De quibusdam causis actoratus separationis a thoro et mensa.

Ad causas legitimas separationem a thoro et mensa petendi insuper spectant: 1) Graviores et diuturnae animi afflictiones, imprimis procuratae per adulterium falso a viro uxori imputatum (Decisio Rotae Rom. de



4. Junii 1736.) 2) Si alter conjugum fiat amens, furiosus, aut maleficus, aut obsessus, et adsit pro altero conjuge periculum alicujus damni. (Homo Apost. tr. 19. n. 91.) 3) Morbi contagiosi et maligni, si juxta medicorum opinionem infectionis periculum pro sano conjuge subversetur, imprimis lepra, item morbus gallicus, lues venerea, si ad eam magnitudinem pervenerit, ut totum corpus putridis ulceribus ac maxime guttur, fauces et palatum exedentibus, ob multam ejus malitiam scateat, ubi aeger lenta ac nocturna febri detineatur, artuumque doloribus indesinenter affligatur, aliisque saevissimis symptomatibus molestetur. Secus morbi contagiosi non permanentes sed solum temporarii, causa separationis petendae esse non possunt; cum ad contagium etiam dispositio requiratur, quae sciri non potest; atque imprimis officium fidelitatis in eo constituatur, ut conjuges sibi invicem in afflictionibus adjutorio sint, atque unus pro altero etiam periculum subire teneatur, dicente S. Apostolo Paulo: Viri diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum obtulit pro ea. 4) Odium implacabile, 5) Malitiosa desertio, 6) Dilapidatio rerum temporalium, 7) Impotentia subsequens unius conjugis ad copulam, quoniam excitatio continua stimuli sexualis sine spe excontentationis magna afflictio consideranda consequenter tollenda est. 8) Si alter conjugum debitum conjugale absolute praestare renuat; 9) denique si quis conjugem post initum et consummatum matrimonium ab alio impregnatam esse experiatur, si statim ab usu matrimonii post captam notitiam abstineat, et intra unum mensem separationis petitionem exhibeat. (Confer Kutschker Tomo V. pag. 693.)

## § 239. Pertractatio Causae separationis a thoro et mensa.

Actis processus probatorii tribunali matrimoniali propositis, protocollum examinis testium partibus vel praelegendum vel scripto communicandum est; si consultum a rei peritis datum fuerit, de hujus pariter tenore instruendae sunt. Quibus peractis ambo conjuges commoneri debent, ut de testium depositionibus vel rei peritorum consultis sensus suos exponant. Si nova instrumenta, vel de instrumentis, quae in inquisitione praevia dubiis obnoxia remanebant, novas probationes afferant, pars adversaria hac de re audienda est. Confessio conjugis, contra quem separationis actio intentatur, plenam efficit probationem. Quoad juramentum conjugum observandum est, in genere illud tunc tantum admitti posse, si omne aliud veritatem eruendi medium deficeret, et ob animorum exacerbationem, qualis in conjugum litibus obtinere solet, nullum perjurii periculum subversetur. (Instr. § 230—233.) Si conjux in litem citatus non compareat, ad comparendum invocata etiam assistentia potestatis civilis compellendus est; in causis autem malitiosae desertionis, in prima statim citatione absenti pro ratione circumstantiarum praefigatur terminus, ut ad summum intra annum et diem comparere teneatur. Quodsi ubicatio ejus ignota sit, per ephemerides publicas citandus est. Quodsi tamen non compareat juxta § 145. Instr.) procedendum et causa decidenda.



## § 240. De Sententia in Causis separationis.

Relate ad sententiam pronunciandam eadem ratione procedendum est prout in causis vincularibus, acta causae in rotulum seu unum volumen congeruntur, acceptoque numero, Referenti extradantur, qui extractum causae cum voto tribunali proponit, ac in quo conventum est, si Episcopus voluerit, cum eo communicatur (§ 237.) In quavis autem sententia separationem pronunciante necessario requiritur, (quod in causis vincularibus non obtinet) ut exprimatur, an causa separationis, quatenus culpa ei insit, uni tantum vel ambabus partibus imputari debeat. Quodsi ex peractis eluceat, patrem vel matrem propter defectus morales non eos esse, qui jus educationis iis competens in liberorum salutem exercere possint, istud quoque in sententia exprimendum est. (§ 238. Instr.) Peculiariter autem observandum est, quod dum in causis vincularibus etiam rationum momenta, ex quibus subversans impedimentum dirimens pro legitime comprobato per tribunal matrimoniale enunciatur, ad quietandum statum publicum genuine exprimenda sunt, id in sententiis separationis quoad thorum et mensam non requiratur; sed sufficiat causa separationis exposita exprimere v. g. Quoniam plene comprobatum est (sine, vel omissis rationum momentis, quibus comprobatum est) quod Reusconventus adulterium commiserit, ...“ vel secundum circumstantias: „Quoniam facta plene comprobata violentam praesumtionem faciunt Reumconventum adulterium commisisse“; vel „Quoniam praetensum adulterium per Reumconventum perpatratum esse nulla legali proba comprobatum sit“;

vel „Quoniam comprobatum est, per actorem praetensum adulterii crimen nullo fundamento niti.“ Quodsi autem actor talem separationis causam allegasset, quae etiamsi comprobata, sufficiens ad separationem enunciandam non est, id in sententia exprimendum est, v. g. Quoniam facta per actorem pro praetensa maletractatione vel saevitie allegata non plene, vel comprobata non sunt, insuper cum ejus indolis sint, ut comprobata licet, tamen sufficiens fundamentum separationis constituere non possent.“ (Cardinalis Rauscher apud Kutschker Tom. V. pag. 931.)

## § 241. De procedura extra-ordinaria.

Quod si facta a Reo non negentur, et ut famae partium parcatur, vel ex alia gravi ratione necessarium videatur, ut negotium quam secretissime pertractetur, partes immediate tribunalis matrimonialis praesidem accedere possunt. Postquam iste compertum habuerit, legitimam adesse separationis causam, parochum vel pro re nata etiam alium sacerdotem admonitione trina restituendae concordiae experimentum facere jubeat, effectu haud subsecuto duobus tribunalis consiliariis adhibitis sententiam separationis pronunciet, in qua sententia petente utraque parte ipsa causa separationis celari poterit, ita tamen ut haec partium petitio ad protocollum assummatur. (243. Instr.)

## § 242. De remedio Appellationis contra Sententiam separationis.

A decisione tribunalis matrimonialis conjux, qui ea se gravatum arbitratur, ad secundam instantiam



provocare potest, matrimonii defensori hoc jure haud competente; intermissa intra decem a communicatione sententiae dies appellationis insinuatione, sententia rei judicatae vim obtinet. Duabus sententiis conformibus latis, ulteriori appellationi locus haud super est. (§ 239.) Instr.) Sententia de separatione a thoro et mensa nulla est, si a judice non competente lata, vel actus judicii essentialis omissus fuerit, ad quos actus judicii essentiales interventus et influxus vinculi matrimonii defensoris haud spectat, ideoque, ex hoc titulo, sententia separationis impugnari nequit.

## § 243. De redintegratione matrimonii.

Redintegratur matrimonium per resumtionem consortii conjugalis per sententiam separationis a thoro et mensa interrupti, aut benevole, in separatione temporali, imo etiam perpetua ex capite adulterii, si modo pars rea vere se emendaverit; ad quam conjugum reconciliationem nulla opus est sententia judicis, sed apud eum tantummodo litis compositio declaranda est. Sed redintegratur matrimonium etiam per sententiam judicis, et quidem 1) Si conjux ob adulterium ab altero separatus ipse postmodum in adulterium labatur juxta decretum Alexandri III. Pontificis de Anno 1175. Cap. V. De divortiis, cujus titulus est: „Matrimonium separatur propter adulterium mulieris: et si vir postea fornicetur, redintegretur.“ Cujus decreti conclusio est: „Unde Fraternitati tuae mandamus, quatenus, si res ita processit (seu vir post separationem ob adulterium uxoris fornicatus est,) praetaxatum virum ad legitimam uxorem redire compellas.“ 2) Dum separationis temporaneae cessante

ejus causa, vigor cessat. Reconciliationum casus concernenti judicio civili notificandi sunt, ut proles post reconciliationem generatae pro legitimis recognoscantur, atque competentia jura civilia iis constent.

## § 244. De taxis processualibus.

Taxae processuales etiam in foris spiritualibus usu introductae sunt, in quantum suscitata Actione, Actor singulariter etiam expensarum refusionem petere solet, quas praeliminarie pars actorea fert, erga futuram recompensationem per partem convincendam. In Imperio Austriaco taxae processuales relate ad causas matrimoniales altissima resolutione caesarea de 19. Augusti 1857. virtute decreti caesareo Regii Ministerii cultus de 31. Octobris 1857. (Nro. 216. R. G. Bl.) provisorie definitae sunt. Et quidem:

1) Pro recursibus aliis exhibitis partium litigantium 6 xri. 2) Pro uno protocollo assumto ad eruendum rei statum loco scriptae petitionis, item examinis testium et reiperitorum, item consignatione singulorum actorum a singula filira 6 xri. 3) Pro simplici copia alicujus frusti actorum 15 xri., (taxa timbri pro vidimatione a singula filira. 15 xri dependenda.) 4) Pro edicto sine reflexione ad numerum publicationum praeter taxam sub Nro. 1-o 6. xrorum pro singula filira 1 finus. 5) Pro sententia interlocutoria primae instantiae 1 finus. 6) Pro sententia in merito causae in qualibet instantia 5 flni. 7) Pro decisione recursus non contra meritoriam sententiam exhibiti, praeter taxam sub Nro. 1. et 2. 30 xri. 8) Pro retractatione sententiae ob contumaciam aut pro sententia loco ejus ferenda nulla taxa. Observandum, quod taxa timbri in processibus matrimonialibus virtute exemtionis a lege timbri altissimis patentalibus de 9. Febr. et 2. Aug. 1850. (R. G. Bl. Nro. 50. et 329.) non obtineat, exceptis attestatis, officiosis copiis, et Documentis quae legi timbri etiam in processibus matrimonialibus subsunt, quemadmodum etiam decisiones tribunalis quoad temporalia conjugum tribunalis qua arbitri judicium et decisionem acceptantium.



Per sententiam 1) pars succumbens, seu quae convictivam tulit, aut simul in omnibus processus expensis, convincitur, aut enunciatur per compensationem expensas seu taxas processuales utramque partem adtinere. Quoad superiores instantias pars appellans fert expensas. 2) Si tribunal ex officio procedat ab inquisitis nullae taxae competunt. 3) Convicto Reo communicatur nota taxalis. Quodsi per eam se gravatum sentiat, intra 14 dies argumenta gravaminis tribunali primae, ac etiam secundae instantiae exhibere potest, imo gravamine nec in foro metropolitano sublato, potest provocare ad tertiam quoque instantiam. Elapso termino 14. dierum ab admanuatione notae taxalis computandorum idgenus recursus acceptandi non sunt; contra decisionem fori metropolitani aut delegati secundi ulterior recursus non datur. 4. Stabilitae per tribunal matrimoniale taxae, penes contestationem eas juris vigorem habere, modalitate qua taxae caesareae incassandae, et tribunali ecclesiastico transponendae sunt. (Kutschker Tom. V. pag. 988.)

## § 245. De nuptiis secundis vi declarationis de conjugis morte editae contrahendis.

Cum sanctum et inviolabile sit conjugii vinculum, (inquit Instructio pro tribunalibus matrimonialibus § 246.) ad secundas nuptias nemo admitti potest, nisi de conjugis morte probationes afferat, quae omne prudens dubium penitus excludant. Ea, quae ad moralem mortis certitudinem stabiliendam tendunt, summa cum cautione pertractanda, verum haud absolute rejicienda sunt. Fieri potest, ut ex rerum adjunctis plene probatis moralis oriatur certitudo, conjugem in vivis haud amplius agere, licet desint documenta vel testium depositiones mortem subsecutam jam esse confirmantes. Quodsi absentis cujusdam conjux talia afferat, quae rarissimum hunc casum adesse valde probabile reddant, commonendus est, ut praevie civilem adeat magistratum, cui ampliora suppetunt factum explorandi media et cujus est, mortis declarationem quoad effectus civiles edere. (§ 247.) Quam primum superius provinciae judicium, peracta communicaverit, tribunal matrimoniale praesente matrimonii defensore judicabit, an conjux, cujus fata ignorantur, eo cum effectu, ut alteri parti ad novas transire nuptias liceat, mortuus censeri possit. Decisio ferenda nunquam non Episcopi judicio subjicienda est. (§ 248.) Quoties tribunal matrimoniale certitudinis moralis, ad quam provocatur, fundamentum haud ita firmum esse judicet, ut ligamen conjugale morte solutum esse absque haesitatione teneri possit, mortis declarationi enunciandae assensum denegabit, et rationum, quibus ad id commovetur, momenta judicio civili communicabit. Quodsi secunda et tertia instantia ecclesiastica oppositam sententiam amplectantur, ac eisdem assensum praebentibus supremum tribunal civile mortis declarationem pronunciet, novis contrahendis nuptiis nullum obgeratur impedimentum. (§ 249.) Quando tribunal matrimoniale censeat, nil novis ineundis nuptiis obesse, hos quidem sensus suo judicio provinciae superiori significet, ad conjugem tamen nullam dirigat communicationem, antequam mortis declaratio relate ad effectus civiles firma consistat. (§ 250.) Si ad novas transitur nuptias, parochus tam mortis declarationem a magistratu civili editam quam decisionem tribunalis matrimonialis, respective assensum, quem superior instantia ecclesiastica praebuit, in libro nuptiali annotare debet.



## § 246. Appendix: Formularia Protocollorum in processibus matrimonialibus occurrentium.

Quo perfectius haec protocolla constructa sunt, eo objectum sive ratio causae in clariorem lucem collocatur, atque momenta probationum patent, ut negotium judicii in ferenda sententia facilius faciant.

### A) Formula Protocolli pro casu, dum Actor petitionem suam non scripto, sed verbo proponit in acta redigendam.

*Protocollum accusatorium.*

Assumtum per Episcopalem investigantem commissarium loco N. die, Mensis, Anni

Praesentes.

N. N. Inquirens Commissarius.

N. N. Secretarius Commissario adjunctus.

Accusator

Joanna Eller.

Objectum.

Querela contra Franciscum Eller, scopo separationis quoad thorum et mensam ob culpam querulati, atque petitio ad admittendam separatam habitationem et provisionem de convenienti sustentatione ad expensas querulati.

Ante omnia quaesitum est ab Actrice, nomen et cognomen suum et conjugis sui, Religio, locus domicilii, conditio vel professio, et aetas, tempus contracti matrimonii; numerus, sexus et aetas in matrimonio generatarum prolium; item num se praescripto testimonio concernentis parochi de praemisso reconciliationis et pacificationis tentamine legitimare possit. Eadem proponit: (in fracto scribendum.) Ego Joanna Eller, catholicae religionis ritus N. 35 annorum, hoc tempore domiciliata apud matrem Theresiam in Possesione Thalkirch. Nro. 13. ad Parochiam Dorning spectante. Pater meus Philippus Berger jam defunctus. Conjux meus Franciscus Eller est catholicae Religionis, 29 annorum lanio, et possessor diversorii in Althof Nro. 3. Parochia Ebentheim. Matrimonium contraximus 3-a Aug. 1847. 6 prolibus benedictum, ex quibus tres in vita sunt nempe 1 Henricus 8 annorum etcet. Relate ad tentatam nostram reconciliationem exhibeo testimonium parochiale de 13-a hujus mensis.

In sequelam irriti tentaminis pacificatorii, processum est ad protocollarem assumtionem querelae sive libelli actionalis. Post seriam reflexionem ad sinceram enunciationem proponit sequentia:

(In fracto scribendum. *a)* Jam primo anno nostri matrimonii cum profundo moerore observavi, quod conjux meus apparenter familiarem correlationem fo-



veat cum vidua Perpetua Nathan, manufactrice in Althof Nr. 7. quacum ille, prout primum post contractum matrimonium experta sum, adhuc vivente dictae viduae marito adulterinam conversationem habuit, eatenusque judicialiter quoque conventus erat; *b)* Ad meas bona modalitate propositas preces et repraesentationes videbatur quidem omnem suspicionem excitantem conventum evitare, in occulto tamen peccaminosum consortium cum ea continuabat, etcet. *c)* Cum ego nihil ominans externae manifestationi honestae mei mariti confiderim, tanto dolorosior mihi accidere debuit deceptio, dum ad notitiam perveni, quod idem meus maritus pluries in itineribus plurium dierum negotiorum causa susceptis, itineris sociam dictam viduam assumserit, cum eaque nominaliter apud N. in diversorio N. condescenderit in uno cubili pernoctaverint, in uno lecto cubuerint, quosuper testes sunt etcet. *d)* Accedit, quod ipsa Perpetua Nathan occasione ultimi partus extramatrimonialis repetitis vicibus partim aperte, partim palliative ad culpam accusati provocaverit. Sic v. g. aperuit huic et huic etcet. *e)* Praeter has multiplices et graves fidelitatis conjugalis laesiones a pluribus annis me male tractavit pluries tunc et tunc (enarratio factorum); *f)* Dirissime autem me tractavit 14-a Aprilis, dum ad nostram domum, ex qua me maritus praecedente vespere praemissis verberibus violenter abegerat, redivissem, dum in culina cum dicta sua amasia Perpetua Nathan mihi obviam factus nulla ex parte mea suppeditata ansa, in me furibundus irruit, capillos extraxit, et dire fuste verberavit etcet. *g)* In cujus sequelam tribus septimanis lecto affixa jacere debui, a quo tempore coacta sum apud matrem permanere. *h)* Interea nil inten-

tatum reliqui, ut maritum meum ad saniora consilia adducerem, qui tamen non tantum amicas reconciliationis intermediationes, sed etiam meam literatoriam affidationem, quod ego in casu si sensum suum mutaret, parata essem consortium conjugale recipere sine ulla objectione propter praeterita, rejecit. Et quidem ea ratione, ut si ad ipsum redire praesummerem, adhuc deteriorem priore sortem exspectandam haberem. Obtutu quorum momentorum jure me pollere censeo, querelam ad perpetuam separationem propter culpam mariti mei proponendi et petendi, ut (juxta § 236. Instructionis pro tribunalibus matrimonialibus) mihi via officiosa separata habitatio in domo parentum meorum admittatur, et apud judicium civile procuretur, quatenus mihi conveniens sustentatio expensis accusati assignetur."

Interrogata Actrix, utrum parata, et in statu esset prolata sufficientibus probationum mediis roborandi, declaravit:

(In fracto scribendum) Ego sum parata et in statu mea asserta etiam judicialiter comprobandi. Ad *a)* provoco ex una parte ad acta judicialia apud prius Dominium terrestrale N., ex alia parte autem ad Testes N. N. ex loco N., item N. N. ex loco N., qui viderunt et observarunt etiam post nostrum matrimonium adulterinam conversationem accusati cum etcet. in specie viderunt tunc et tunc etcet.; ad *b)* provoco ad testes N. N. et N. N., qui tamquam domestici Perpetuae Nathan, scientiam habent de generatione spuriae prolis, quam ab accusato suscepisse asseveravit, etcet.; ad *c)* et sic porro.... ad *h)* provoco ad testes N. N. et N. N. qui adierunt accusatum et sic porro. Literas concernentes exhibeo. Imo etiam juramentum meum offero



pro omnibus factis, quae meam personam adtinent, si id necessarium fuerit; sicut circumstantiam et sic porro. Finaliter peto in quantum necessarium videretur accusatum adjurari."

Post haec Libellus hic actionalis Actrici per extensum perlectus, et interrogatio ad eam dirrecta est: (In fracto) „Est ne Libellus hic tuus actionalis genuine assumtus?"

Mea querela perfecte et recte est assumta; nec habeo quod modificem, tantummodo petitionem adjicio, ut quo ocyus pertractatio judiciaria super ea instituatur. Joanna Eller, Actrix.

Actum ut supra, coram nobis.

N. N. Commissarius inquirens.

N. N. Secretarius Adjunctus.

Observatio. Quodsi ductu declarationum Actricis suspicari liceret, rationem petiti perpetui divortii vix evidenter ac sufficienter comprobabilem esse, alia vero adjuncta vere pro temporali tantum separatione plene probarentur, poterit suo loco congruenter intentioni Actricis adnotari, quodsi petitio sua ad perpetuam separationem adimpleri non posset, Actrix minimum separationem temporariam fundamento ceterorum motivorum adjudicari postulet. (Kutschker Tom. V. pag. 747—749.)

## B) Protocollum Benevolae confessionis conjugum in praevia Inquisitione.

Quodsi Libellus-Actionalis scripto exhibitus esset, relate ad confessionem Actoris supplendi sunt defectus quaestionibus idoneis, atque responsa in Protocollum juxta Formular sub A) assummenda. Pro Reoconvento autem sequens Protocollum construendum:

*

*Protocollum benevolae confessionis de 20. Mai 1859.*

Assumtum coram N. N. qua Commissario inquisitore ex incidenti Libelli Actionalis conjugis N. N. vel si ex officio procedatur, in sequelam decisionis tribunalis, quoad impedimentum dirimens N., vel quoad allegatam causam separationis a thoro et mensa N.

Praesentes.

Commissarius Inquisitor N. N.

Juratus Adjunctus Protocollista N. N.

Inchoatum 9 hora ante meridiana.

Incattus vel RCntus praemonitus per Commissarium, ut ad proponendas sibi interrogationes determinate, clare, et veraciter confiteatur.

(Protocollum in fracto, quaelibet quaestio numero currenti notanda, in parte sinistra filirae, et responsum in parte dextra) 1) Quomodo vocaris, cujus aetatis et Religionis? 2) Quis locus natalis? cujus status et conditionis? 3) Ubi domiciliatus? Nrus domus? 4) Vivuntne tui parentes? habesne etiam fratres et sorores, et ubi degunt? 5) Habesne aliquas facultates vel bona, et qualia, in quo consistunt? Ubi te a juventute detinuisti, qualem occupationem? et quomodo vitae media comparasti? 6) Fuistine jam coram judice constitutus? 7) Scisne quare nam ad comparendum isthuc citatus sis? En conjux tuus vel tua querelam exhibuit contra te, vel exposuit hoc vel illud impedimentum dirimens matrimonio vestro obstare, quid respondes ad expositionem ejus ad a) ad b) c) et sic porro. Quos testes aut contrariae probationis media pro puncto a. b. c. distinctim? Esne paratus etiam juramentum deponere? Absoluto examine (quod lingva partium exceptum, si ea, a lingva judicii differat et necessarium sit, vertitur in lingvam judicii) perlegitur elicita confessio, et interrogatur, num recte ejus confessio excepta sit, nec habet quod modificet? (modificationes si fiant, non in textu corrigendae, sed post subnectendae sunt) subscribit. Hanc confessionem meam recte exceptam mihique perlectam meam esse recognosco N. N. RCntus (si scribere nesciat, subscriptio coram duobus testibus coramisantibus aliena manu tracta per concernentem cruce facienda.



Actum et conclusum hora 11-a.

Vide Kutschker p. 802. T. V. N. N. Commissarius.

N. N. Protocollista.

**C) Formular Protocolli examinis testium in inquisitione praevia.**

*Protocollum de 5-a Junii.*

Assumtum coram N. N. Commissario inquisitore in causa matrimoniali N. N. ex capite vis et metus matrimonium suum cum N. N. nullum pronunciari petentis, vel ex capite adulterii ab N. N. in perpetuum separari petentis.

Praesentes: Commissarius inquisitor N. N.

Juratus Protocollista N. N.

Inchoatum 10 hora ante meridiana.

Ante omnia productus Testis reflexus est, de omnibus circumstantiis, de quibus interrogandus erit, ad enunciandam veritatem secundum scientiam et conscientiam, nihilque celare, ac confessionem suam ita elicere, ut si requireretur, fassionem etiam juramento firmare possit.

(In fracto ut sub B) 1) Quomodo vocaris, 2) cujus aetatis, 3) quis locus natalis, 4) cujus conditionis, 5) professionis, 6) characteris, 7) quis locus domicilii?

8) Noscitne testis conjuges N. N. a quo tempore? num familiaris illis sit? 9) Quid scit testis de hac vel illa circumstantia, facto? 10) Quid scit item de hoc et hoc? et sic porro (quaestiones eruendae ex Libello actionali, confessione benevola conjugum, atque interdum etiam ex responsis ipsorum testium, quae novis interrogationibus ansam suppeditant. Dein in fine:

Post perlectum protocollum coram audito teste, (quae lectio articulata et clara esse debet, non properanter instituta; imo in gravioris momenti responsis inter legendum denuo interrogetur testis, num res ita se habuerit) item interrogandus est. 11) Estne confessio tua genuine assumta, habesne aliquid ei addendum, mutandum, vel modificandum? Responsum: Mea confessio genuine et recte est excepta, et suppletorie adhuc observare debeo sicut mihi nunc incidit, quod etcet. Josef N. m. p., Testis.

Post perlectam fassionem eandem testis qua genuine et recte exceptam cum vel sine modificatione, .... vel additione subscripsit.

Actum et conclusum.

N. N. Inquisitor Commissarius.

(Vide Kutschker p. 804.) N. N. Protocollista.

**D) Formular Protocolli pro casu, dum Actor actionem revocat in causis separationis quoad thorum et mensam.**

In causis dissidentium conjugum principalis est obligatio commissarii ad inquirendum deputati, occasione benevoli examinis conjugum in inquisitione praevia, partem actoream audito utroque conjuge ad revocandam separationis petitionem, etiamsi reconciliatio



coram parocho non successerit, permovere; quod interim neutiquam auctoritatis suae interpositione, minis, aut asperioribus dehortationibus tentandum est; quin potius commissarius declaret reconciliationem a plena ipsorum libera consensione dependere, quam paternis consiliis, mansvetis allocutionibus ac persvasionibus procurare ad suum officium spectat. Quodsi revocatio actionis, et reconciliatio dissidentium conjugum succedat, assummendum est Protocollum sequens:

*Protocollum.*

Assumtum apud Commissariatum episcopalem inquisitorem M.Varadini die 19. Junii 1859.

Praesentes.

N. N. Episcopalis Commissarius.
N. N. Protocollista.
Josephus Koszta, Civis M.Varadinensis.
Maria Nagy, Conjux.

Objectum.

Revocatio querelae et petitionis separationis quoad thorum et mensam per Mariam Nagy contra maritum Josephum Koszta propositae. Nrus praesid. 273 de 1-a cur. mensis, et reconciliatio utriusque conjugis sub sequentibus conditionibus.

In sequelam commissionis v. tribunalis matrimonialis ddto $^{13}/_{15}$ hujus mensis Nro. 285. ad praeviam inquisitionem peragendam in praedesignata causa separationis conjugum NN. et NN. iidem coram evocati dum comparuissent, ante omnia bona modalitate, audita utraque parte, tentata est eorum reconciliatio et pacificatio, atque Actrix ad revocationem Libelli actionalis se pronam, imo eam effective revocare et marito

reconciliari declaravit sub sequentibus conditionibus: 1) Accusatus maritus ab hinc domum Perpetuae Nathan non adeat, imo omnem cum ea conventum sollicite vitet. 2) Ut ipsam ut suam conjugem convenienter tractet et non affligat. 3) Ut sine suo scitu nulla nova debita contrahat. 4) Ut in oeconomia domestica se sedulum, atque etiam sobrium exhibeat. 5) Ut christiana officia adimpleat, Ecclesiam frequentet. Quas conditiones accusatus sincere acceptavit et conscientiose adimplere velle promisit. Reciproce autem Actrix pollicita est se praeteritorum, marito nunquam objectionem facturam, et hodie adhuc ad maritum redituram. Postquam conditiones hae restitutae concordiae conjugalis ab utrinque acceptatae sunt, petit Actrix supersederi ab omni ulteriori pertractatione revocatae petitionis. Lectum recte inventum, conclusum et subscriptum.

N. N. Commissarius Episcopalis — Josephus Koszta.
N. N. Protocollista — Maria Nagy.

(Kutschker pag. 816.)

**E) Protocollum de confrontatione testium in causa divortiali N.N. et N.N. ex capite N. ddto 5. Julii 1859.**

Assumtum per N. N. Commissarium inquisitorem Praesentes

N. N. Commissarius.
N. N. Protocollista.

Ante omnia reflexus est testis ad officium veracitatis, dein:

1) Noscitne testis hunc alium hic praesentem testem? 2) Tu fassionem elicuisti quoad circumstantiam vel factum N. recordarisne quam? proferas. (Repetitur per testem fassio.) 3) Testis B) Audivisti



nunc ex ore testis A) quid habes ad ejus fassionem observandum? (Observationem enunciat.) 4) Testis A) et quid tu reponis ad hanc enunciationem? Responsum v. g. Siquidem de sinceritate testis B) dubitare non possim, ego debui in irrore versari, et reipsa hodie primum intelligo vel experior hoc vel hoc, unde ego facile errare potui. Testis A) N. N. m. p. 5) Testis B) Habesne adhuc aliquid observandum? nihil amplius habeo dicendum. Testis B) N. N. m. p.

Perlectum et recte assumtum, subscriptum, atque uterque testis quiete, singulariter autem testis B) determinate fassus est.

N. N. Commissarius inquisitor.
N. N. Protocollista. (Cf. Kutschker T. V. p. 824.)

**F) Formula Protocolli super inquisitione probatoria.**

*Protocollum.*

Assumtum apud Commissariatum episcopalem in Loco N. 3. Julii 1859.

Praesentes:

N. N. Commissarius episc.
N. N. Juratus Protocollista.

Josepha Haid, Actrix et Testes ejus: Josephus Berger, Joannes Verth, Franciscus Larb, Georgius Stein et Michael Brandmayer.

Michael Haid, RConventus atque hujus testes. Jacobus Seidner, Franciscus Gruber, Adeodatus Ernst.

Objectum.

Procedura probatoria in sequelam commissionis tribunalis matrimonialis ddto 22. praet. mensis Junii

Nr. 367. instituenda in merito querelae Actricis N. N. contra suum Maritum N. N. ad separationem a thoro et mensa, ddto 12. Martii cur. anni Nr. 129. Comparentibus personaliter legitime citatis conjugibus eorumque testibus, nulloque ex partibus litigantibus contra productos per alteram testes excipiente, praesentibus, vel vocatis sed non praesentibus partibus praemissa de juramenti sanctitate praemonitione adjurati sunt testes per utramque partem provocati.

(Subscriptio partium et testium.)

Post juramentum testium processum est ad eorum examen juxta inviationes probatorii articuli, in Libello actionali expressas, idoneis specialibus interrogationibus per commissarium inquisitorem appositis.

Articuli probatorii per Actricem adducti.

Art. 1) Verum ne est, quod testis querulantem conjugem usque ad profusionem sangvinis vulneratam viderit? Art. 2) Verumne, quod Reusconventus saepe ebrius domesticae rei curam negligat? Art. 3) Verumne, quod articulatus (causatus) malitiosa venditione jumentorum et instrumentorum tempore laboris ruralis culturam terrarum et oeconomiam impediat? Art. 4) Verumne, quod articulatus conjugem et proles minis, et violentis mediis ab aditu cultus divini publici, proles autem etiam verberibus ab aditu scholae inhibeat? Art. 5) Verumne, quod articulatus conjugalis fidefragii suspectus valde suspectus haberi debeat?

Interrogatoria specialia commissarii ad praemissos Articulos.

Ad Art. I. 1) Quando et quibus in circumstantiis vidit testis Actricem usque ad sangvinis profusionem



vulneratam? 2) Utrum et unde scit testis, quis Actricem tam crudeliter cruciaverit? 3) Utrum, et quid scit testis de causa tantae crudelitatis? etcet.

Ad Art. II. 1) Unde scit testis quod accusatus saepe se impotet? 2) Qualia facta potest adferre testis pro eo, quod accusatus domesticam oeconomiam ex toto negligat?

Examen testium inchoatum est coram vocatis testibus per Actricem pro Articulis probatoriis nominatis.

1-us Josephus Berger.

Cui primo proposita sunt sequentia Interrogatoria generalia.

| | |
|---|---|
| *a)* Quod nomen testis et cujus aetatis? | ad *a)* Josephus Berger, 47 annorum. |
| *b)* Cujus Religionis? | ad *b)* Catholicae Religionis. |
| *c)* Cujus status, characteris, et quis locus domicilii? | ad *c)* Conjugatus, mercator in Thalheim. |
| *d)* Utrum, et quam prope cognatus cum partibus causantibus? | ad *d)* Nec consangvineus, nec affinis, sed in cognatione spirituali, qua patrinus duarum prolium illorum. |
| *e)* Utrum parti alteri inimicus? | ad *e)* Non sum. |
| *f)* In quo haec inimicitia consistit? | ad *f)* Cessat. |
| *g)* Utrum ab exitu hujus causae aliquod lucrum vel damnum speret? | ad *g)* Nec lucrum, nec damnum. |
| *h)* In quo hoc lucrum vel damnum consistit? | ad *h)* Cessat. |

| | |
|---|---|
| *i)* Num aliquis tentaverit testem instruere quid et quomodo fateatur? | ad *i)* Nemo. |
| *k)* Utrum propter testimonium aliquid appromissum aut datum sit? | ad *k)* Non. |
| *l)* A quo et quid? | ad *l)* Cessat. |

In continuo examinatus est testis de Articulis per partem A. adductis, et ad quaestiones commissarii eatenus propositas.

Ad Art. I. Ita.

Ad Specialia I. 1) Fuit dies Pentecostes hujus anni tempore cultus divini pomeridiani ad I. 2) Equidem non vidi immediate, quisnam querulantem tam dire cruciaverit. Attamen audivi adhuc cum meo in domum eorum introitu notam vocem Accusati qui inter imprecationes minabatur alia vice adhuc crudelius conjugem suam tractaturum. Proles etiam clamabant et invocabant adjutorium pro matre, quam pater dire verberaret, et sic porro ad I. 3) Causa .... et sic porro.

Ad Art. II. Ita.

Ad Specialia II. 1) Qualibet septimana repetitis vicibus video illum domum euntem, etcet.

Praemissae fassiones testi perlectae, et ab eodem qua propriae acceptatae, et cum nihil amplius quod reflecteret haberet, praemissa admonitione de secreto servando subscriptae sunt. Josephus Berger.

Teste priori dimisso comparuit testis per Actricem quoad Art. III. et IV. nominatus.

II. Testis Joannes Verth.

Respondet:

ad Interrogatoria generalia: Ego Joannes Verth



sum 36 annorum, Religionis catholicae, viduus, Textor in Thalheim, cum partibus litigantibus nec cognatus nec affinis; inimico non sum animo erga partem contrariam; ab exitu processus nec lucrum nec damnum sperans; a nemine quid confitear, vel quomodo instructus; nec promissione aut dono allectus.

Ad II. Ita.

Ad Spec. II. 1) Cum ego qua vicinus accusati saepe videam accusatum ex popina domum reversum etcet. II. 2) Pro hoc possum qua testis oculatus sequentia facta recensere .... et sic porro.

Ad Art. III. Sic porro.

Perlecta fassione declarat Testis eandem suam veram esse, et recte assumtam esse, tantum ad II. 2. sequentia adhuc facta indicat:

Erat tempus seminaturae vernalis et s. p.

Probatum, et post reflexionem silentii de actis et dictis subscriptum per Joannem Verth.

Examinatis omnibus testibus Accusatus coram vocatus, et perlectae sunt illi fassiones omnium testium per extensum, ad quas ille reposuit: fassionem Testis 1-i ad 1. 2. declaro pro falsa. Nam, etcet. Relate ad fassionem testis 2-di ad II., 2. declarandum habeo, quod idem factum observare ipse non potuerit, cum eo die in itinere constitutus fuerit, quod testari possunt. N. N. et N. N. etcet. Perlectum et recte adinventum, subscriptum Michael Haid.

Post hoc Actrix coram vocata, atque illi tam fassiones omnium testium, quam et contraria declaratio conjugis accusati clare perlectae. Illa reposuit: Fassiones testium teneo esse veras, contraria autem declaratio Accusati ex errore oritur, quod ille hoc vel illud factum cum alio quod tunc et tunc evenit con-

fundat. Proinde insisto meae querelae quoad totum ejus complexum. Josepha Haid.

Hac super re denuo auditus Accusatus, declarat: quoad primum recognosco contrariam enunciationem Querulantis esse veram. Relate autem ad reliqua insisto meae contradictioni. Michael Haid.

Conclusum 5 hora pomeridiana.

N. N. Commissarius. N. N. Protocollista.

Quodsi Accusatus praetendat copiam fassionum testium, petito ejus deferendum, et terminus 14 dierum, intra quem replicare teneatur, ei praefigendus, hocque ipsum in conclusione Protocolli exponendum est.

Eadem ratione examinantur testes per Accusatum producti, ad Articulos reprobatoriales et consonas quaestiones Commissarii. Quodsi autem nulli Articuli per partes proponantur, nec ipsum tribunal matrimoniale quaestiones proponendas defigat, hoc in casu quaestiones construendae sunt ex protocollo queruloso, et actis inquisitionis praeviae. (Conf. Kutschker pag. 904. et sequ.)

### G) Forma Sententiae separationis a thoro et mensa juxta novam Instructionem.

*Sententia* (sine timbro in dupplo pro Actore et reo expedienda).

Tribunal matrimoniale Archi-Dioecesis Viennensis virtute collatae sibi ab Eminentissimo Cardinali Principe Archi-Episcopo D. Othmaro Rauscher potestatis judiciariae, in sequelam querulosae supplicationis N. N. Religionis catholicae ddto 16. Januarii 1857. contra suum maritum N. N. civem sartorem Viennensem in platea. Nro ad separationem a thoro et mensa tri-



bunali huic exhibitae, fundamento eatenus institutae investigationis, cum reflexione ad § 4. Instructionis pro tribunalibus matrimonialibus Austriaci Imperii, deliberandum et jus dicendum invenit sequentibus: Separatio a thoro et mensa catholicorum conjugum N. et N. N., quorum matrimonium 2-a Februarii 1850. initum sterile sine prolibus e respectu et debita consideratione, saevitiei et crudelitatis per Actricem legitime contra maritum comprobatae, admittitur, usque dum vitae consortium sine periculo salutis temporalis resumere poterit. Ipsa tamen quoad causam separationis procuratam insons non est, (vel causa separationis imputatur soli marito crudeli accusato). Relate ad petitam per Actricem alimentationem, postquam arbitrium hujus tribunalis eatenus postulatum non est, in sensu § 244. Instructionis ad suam competentiam judicem civilem inviatur (vel petita separatio non conceditur ex eo, quod Actrix requisita rationum momenta pro interrumpendo vitae consortio nec produxerit, nec etiam comprobare potuerit). Conclusum per Archi-Episcopale tribunal matrtmoniale Viennae 10. Febr. 1857. subscripti Praeses, et votantes Consiliarii. Sententia in vicem resolutionis (si separatio non admittatur). Actrici extradatur cum restitutione adnexorum ad recursum, et in uno exemplari etiam Accusato traditur. Una vero super exitu causae et tenoribus sententiae respectivus quoque Parochus provocative ad ejus Relationem de tentamine pacificationis per ipsum instituto officiose semper edocendus est. Quodsi separatio concessa, sententia etiam cum civili judice communicanda. Quodsi petita separatio non concedatur, simul in sententia exprimendum

est, conjuges ad continuandum vitae consortium obligari; eatenusque officium politiae edocendum est, ut sententiae effectus assecuretur.

# CAPUT VI.

## DE CENSURIS ECCLESIASTICIS.

### § 247. De poenis ecclesiasticis.

Poenae ecclesiasticae sunt aliae medicinales alias censurae nominatae, aliae autem poenae vindicativae; priores ad emendationem Rei, posteriores ad publicam vindictam scandali irrogantur. Poenae medicinales sunt excommunicatio minor, suspensio, et interdictum. Vindicativae autem: privatio beneficii, depositio, degradatio et excommunicatio major.

*A)* Excommunicatio minor, seu ad certum tempus, ad emendationem, per quam baptisatus privatur communione Ecclesiae, seu bonis, quae sunt communia inter fideles, quaeve pendent a potestate et dispositione Ecclesiae, uti sunt sacramentorum receptio et administratio, Ecclesiae suffragia et divina officia. Effectus excommunicationis minoris sunt 1) privatio seu prohibitio receptionis sacramentorum; 2) privatio passivae electionis ad dignitates et beneficia. Quare illa ligatus graviter peccat, si scienter recipiat Sacramentum, vel beneficium, quia violat praeceptum Ecclesiae in re gravi. Non fit tamen irregularis, nec electio aut provisio est irrita, sed solum irritanda, (cap. ult. de cleric. excommunicat). 3) privatio administrationis licitae sacramentorum, ex eod. capite ubi dicitur: peccare conferendo ecclesiastica sacramenta. Excommunicatio est alia „latae sententiae“



quae ipso facto prohibito sine judicis sententia incurritur, quae in canonibus verbis exprimitur: ipso facto, ipso jure, ex tunc, ex nunc; vel per verba praesentis indicativi modi, v. g. excommunicamus, suspenduntur etcet.; vel per verba imperativi modi, ut subjaceat excommunicationi; incidat in excommunicationem. Ejusmodi excommunicatio latae sententiae est illa quoad privilegium canonis clericorum in Concilio Lateranensi II. can. 15. lata his verbis: „Placuit, ut si quis svadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat: et nullus Episcoporum illum praesummat absolvere, nisi mortis urgenti periculo, donec apostolico conspectui praesentetur, et ejus mandatum suscipiat.“ Excommunicatio autem ferendae sententiae est, quae per judicis causam cognoscentis sententiam enuncianda est, et verbis indicatur: excommunicetur, suspendatur, ab Ecclesiae ingressu arceatur, decernimus excommunicandum, suspendendum etcet. Excommunicationis hujus minoris remedio saepissime utuntur Canones Ecclesiae Orientalis.

*B)* Suspensio, per quam Clerico prohibetur usus ecclesiastici officii, vel beneficii, vel utriusque, sive qua Clericus privatur exercitio potestatis, quae ei competit ratione officii clericalis, vel beneficii, vel utriusque. (Antoine pag. 368.) Incurritur autem suspensio ipso jure: 1) Qui ordines sacros recipiunt vel ab alieno Episcopo sine dimissoriis, vel a proprio in aliena dioecesi, vel conficto titulo, vel per saltum, vel in censura (excom. min.) vel extra tempora a jure statuta (sine facultate) vel sine legitima aetate (a qua dispensari nequit, vel dispensatum non est): item qui

furtive ordinantur, idest sine praevio examine et approbatione inter ordinandos irrepserunt, aut alium sui loco substituunt examini (Can. 9. Con. Nicaeni I.) hi omnes suspensi sunt ab exercitio ordinum; et si ordinem exerceant fiunt irregulares.

2) Qui eodem die duos sacros ordines (ab Ecclesia prohibitos eodem die suscipi) suscipiunt.

3) Simoniace ordinans et ordinatus.

4) Parochus vel alius Sacerdos jungens sponsos alterius parochiae sine illorum parochi licentia. (Trident. Sess. 24. Cap. 1.)

5) Occupantes bona, vel census Ecclesiae beneficii vel alterius pii loci.

6) Simoniaci, sodomiam exercentes, provocantes ad duellum, vel acceptantes etcet.

7) Apostatae ab Ordine religioso, praecipue si in apostasia recipiunt Ordines.

*Nota.* Episcopi ex privilegio huic suspensioni non subsunt, nisi eorum in Canone expressa mentio fiat. (Innoc. IV. Concil. Lugdun. C. 4. de sent. excomm. in 6-o.)

Effectus suspensionis sunt: 1) Suspensus ab officio etiam occultus peccat mortaliter, si exerceat actum sive ordinis sive jurisdictionis, quia violat prohibitionem Ecclesiae in re gravi, idque ubicunque exerceat. Actus tamen ordinis a jurisdictione non pendentes sunt validi; quia Ecclesia non potest tollere potestatem ordinis, sed solum ejus exercitium prohibere. Actus vero jurisdictionis sunt invalidi, si suspensus sit nominatim denunciatus, quia privatur actuali jurisdictione: sed validi sunt, si non sit denunciatus (sed tantum suspensus de Canone absque sententia) ex constit. Martini V. „Ad evitandum."

2) Suspensus illicite beneficium novum reciperet,



et ei conferretur, quae collatio est saltem irritanda (ex cap. de consvet.) quia, qui privatus est aliquo actu vel munere, est etiam privatus suceptione eorum, quae ad talem actum vel munus ordinantur. Sive, quod idem est, cui prohibetur actus vel munus aliquod, ei quoque prohibentur ea, quae ad talem actum vel munus ordinantur. (Cap. ult. de Cleric. excom.)

3) Suspensus fit irregularis, si exerceat functiones Ordinis proprias.

Suspensus a beneficio, ad fructus durante suspensione perceptos incompetenter, restituendos cogendus.

*C)* Interdictum, quo prohibetur officiorum divinorum celebratio publica, et auditio, quaedam sacramenta, et ecclesiastica sepultura.

Interdictum est vel locale, quod directe fertur in locum, prohibendo ne solemnis cultus divinus, et alia supra dicta in eo exerceantur, vel personale, quod immediate fertur in personam, ei prohibendo istorum exercitium et participationem ubicunque existat; mixtum interdictum est, quod et personam et locum immediate afficit. Duo priora iterum sunt vel generalia, si interdicto subjiciatur locus communis: regnum, provincia, civitas, vel hominum communitas; vel particularia, si interdictum afficiat singularem locum, Ecclesiam, vel singularem personam.

Effectus Interdicti sunt 1) qui illud violant mortaliter peccant, quia violant praeceptum Ecclesiae in re gravi. 2) Qui illud violat exercendo actum proprium ordinis incurrit irregularitatem. (Conf. Antoine pag. 367.)

*D)* Privatio Beneficii, quod per Investituram jure perpetuo quis possedit, est poena vindicativa ob majora delicta, cum infamia conjuncta. Privari beneficio

*

nemo potest, nisi ordine juris legitime convictus, et per judicis competentis sententiam, salvo usu omnium legalium contra sententiam remediorum. Ad privationem praeter causam gravem, et infamiam requiritur probatio plenissima; et trina praecedens monitio. Nisi haec requisita adfuerint, sententia privationis nullitatis et injustitiae vitio laborabit. (Resp. S. CC. in Cracov Paroch. 10. Febr. 1770.) sola diffamatio Clerici quoad mores (S. CC. in Lanciam Jur. paroch. 19. Sept. 1761.) vel aversatio parochianorum (S. CC. in Reat. paroch. 3. Sept. 1740.) ad removendum parochum non sufficit. Beneficia, quibus alii privantur, Judices, eorum affines vel familiares obtinere nequeunt. (Pius 5. Const. Cupientes.) (Vide Porubszky pag. 383.)

*E)* Depositio, quae est poena vindicativa, per quam Clericus privatur omni officio et beneficio ecclesiastico in perpetuum sine spe recuperationis. Depositionis sententia plectuntur Clerici majorum et iterate perpetratorum criminum rei, atque incorrigibiles publice scandalosi. Quia autem poena haec gravis est, nonnisi servato juris ordine per competens judicium decerni potest, salvis privilegiis Clericorum.

*F)* Degradatio, quae est poena, per quam quis solemniter privatur in perpetuum non solum omni officio et beneficio ecclesiastico, sed etiam omni privilegio clericali. Poena haec summarie in sequelam latae sententiae capitalis per sententiam judicis Ordinarii ecclesiastici enunciatur et solemni actu in Ecclesia publice peragitur, Reusque brachio saeculari resignatur.

*G)* Excommunicatio major, seu proprie dicta, qua quis privatur bonis communibus, communione Ecclesiae et communicatione cum fidelibus, atque a corpore Ecclesiae abscinditur. Infligitur solum propter grave



et Ecclesiae noxium crimen cum contumacia conjunctum, juxta illud Math. 18-o si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus, cum quo christianis nec conversari, cum juxta S. Apostolum Joannem Epistola II. 10. 11. nec ave licet dicere, multo minus orare aut epulari. Actus prohibiti communicationis cum excommunicato excommunicatione majori, hoc versiculo exprimuntur: Os, orare, vale, communio, mensa negatur. Excommunicati in judiciis ecclesiasticis nec accusatores nec testes agere possunt, atque mortui quin absoluti essent ab excommunicatione, sepultura ecclesiastica privantur.

## CONCLUSIO:

### Monitum ad Clerum Orientalis Ecclesiae catholicum.

Habetis ergo Fratres! in hoc opere collecta principia Ecclesiae Orientalis catholicae et orthodoxae, cujus praecones estis, conscii consonae cum Ecclesia Latina communis aeternae veritatis, quam professa est Ecclesia christiana regionum orientalium per omnia retro acta secula, hodiedumque confitetur. Dumque Ecclesia orientalis in ritu absolutionis defunctorum oratione secunda Euchologii orat, atque etiam illi, qui n.-uniti graeci dicuntur, nobiscum precantur: „Domine Jesu Christe Deus noster, qui supra Principem discipulorum et Apostolorum tuorum Petrum aedificasti Ecclesiam tuam“, manifestum est ipsos etiam non-unitos Graecos profiteri: Christum Ecclesiam suam non supra Synodum, multo minus Constantinopolitanam, quae tunc non exstitit, sed supra Petrum aedificasse, hincque non Synodum, sed Petrum esse fundamentum Ecclesiae immobile in ipsa etiam Synodo, a Christo auctore Ecclesiae positum, et quidem non tantum pro

tempore vitae Petri, sed pro omnibus temporibus, pro quibus Ecclesia Christi destinata erat, Petro Ecclesiae fundamento in suis successoribus Romanis Pontificibus semper vivente. Nec alium unquam agnovit Orientalis Ecclesia Petri in munere successorem et clavium regni coelorum seu regiminis totius Ecclesiae et pastoris totius gregis christiani haeredem. Sed nec ullus alter unquam praesumsit successionem in munere Petri sibi arrogare. Ergo, etiam ex professione ipsorum nonunitorum Graecorum dictam orationem persolventium et Christi Evangelio credentium ubi Petrus, ibi est et vera unice orthodoxa Christi Ecclesia catholica, de qua S. Cyprianus per non-unitos quoque Doctor Ecclesiae recognitus Libro de unitate Ecclesiae inquit:“ Si potuit evadere quisquam, qui extra arcam Noe fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit, evadit. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulterae conjungitur, a promissis Ecclesiae separatur; nec perveniet ad Christi praemia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Qui Ecclesiae renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? Habere jam non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.“

Eadem autem Ecclesia Orientalis cum D. Apostolo Paulo ad Romanos Cap. VIII. v. 9. et ad Galatas Cap. IV. v. 6. confitetur Spiritum sanctum esse Spiritum Filii sicut et Patris, qui a Patre procedit propterea, quia Patris spiritus est, ergo etiam a Filio procedere debet, quia etiam Filii spiritus est; ideo Christus de Spiritu Sancto loquens Joannis Cap. XVI. v. 14. (Spiritus Sanctus) de meo accipiet et annunciabit vobis, et v. 15. idem repetit de Spiritu Sancto praemittens: Omnia quaecunque habet Pater mea



sunt, seu habet Pater Spiritum Sanctum, habet et Filius Spiritum Sanctum; habet Pater procedere Spiritum Sanctum a se, habet et Filius Spiritum Sanctum suum procedere a se, quem ipse misit. Qui igitur praesummunt negare Spiritum Sanctum procedere etiam a Filio, contradicunt Christo; quia tunc non haberet Filius omnia, quae habet Pater relate ad Spiritum Sanctum, nec esset Spiritus etiam Filii sicut est et Patris, si non etiam a Filio procederet. Neque timendum est per processionem Spiritus Sancti a Patre et Filio duo Spiritus sancti principia statui; si enim ex eo, quod Spiritus Sanctus sit Spiritus Filii sicut et Patris quod docet Apostolus, non statuuntur duo principia Spiritus Sancti, neque ex processione ab utroque duo principia deduci possunt. Veritas haec plana est, ideoque operosa demonstratione non indiget; quam nec ipsi Reformatores seculi XVI. negare praesumserunt, etsi motivum non defuisset eam negandi, ut per id benevolentiam Constantinopolitanae Ecclesiae quam uucupari conabantur, eo certius lucrarentur. — Ceterum nec Photius ipse processionem Spiritus Sancti etiam a Filio impugnavit, sed solum contra additionem particulae filioque ad Symbolum, postquam Concilium generale Ephesinum omnem additionem Symbolo interdixit, excepit; quae tamen interdictio de privata auctoritate intelligenda est, non autem de auctoritate universalis Ecclesiae in Concilio oecumenico Lateranensi IV-to, cui etiam orientales intererant repraesentata.

Quod si igitur in Libro chorali Ecclesiae Orientalis Pentecostarion dicto, die lunae post Pentecosten in Synaxario occurrat: „Spiritus Sanctus a solo Patre procedit“ delete illud tamquam additamentum haere-

ticum; Spiritum enim Sanctum a solo Patre procedere, in Scripturis sacris nullibi scriptum legitur. E contra vero inspicite Librum Apocalypsis S. Joannis Cap. XXII. v. 1. et legetis: „Et ostendit mihi fluvium aquae vitae (seu Spiritum Sanctum, prout Joannis Evang. Cap. 7. v. 38.): Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae. v. 39.: Hoc autem dixit de Spiritu sancto, quem accepturi erant credentes in eum) splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni, seu Spiritum procedentem a Patre et Filio.

Doctrinam autem de loco purgatorii, nullus unquam clarius et expressius professus est, quam ipsa Orientalis Ecclesia: Ipsi non-uniti Constantinopolitani hodie quoque nobiscum orant ad Vesperas in die Pentecostes Oratione V. quae incipit: „Fons vive et illuminans“: Ipse omnium Domine, Deus et Salvator noster, spes omnium finium terrae, qui in hac magna et salutifera Pentecostes die, sanctae, et consubstantialis, et coaeternae, et individuae, et inconfusae Trinitatis nobis mysterium revelasti, et adventu, praesentiaque sancti et vivifici Spiritus in ignearum lingvarum forma super sanctos Apostolos tuos effusa, devotae fidei nostrae Evangelistas illos et confessores, veraeque et divinae sapientiae praecones renunciasti, qui in hoc undequaque absoluto et salutifero Festo suffragia, supplicationesque pro detentis in inferis suscipere dignatus es, magna spe nobis subjecta, detentis hujusmodi, detinentium eos tormentorum relaxationem et solamen a Te fore rependendum.“ Certe nemo per inferos, in quibus hae animae tormentis detinentur, et christianorum precibus juvantur, et relaxationis poenarum spem habent, asserere praesumserit esse in-



fernum damnatorum, ex quo nulla datur redemtio; de quo Canon XIV. SS. Apostolorum Petri et Pauli (apud Bevereg. Tom. II.) quoad exequias defunctorum his verbis concludit: „Impium autem, licet totus mundus pro eo (in eleemosinam) detur, non juvabis.

Cetera autem, quae a non-unitis Graecis nobis oggeruntur, nullius sunt considerationis. Merito ergo nos Graeci Ritus Catholici confitemur cum S. Augustino: „Multa sunt alia, quae me in Ecclesiae catholicae gremio justissime tenent; tenet consensio populorum et gentium (totius terrae); tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet me ipsa sedes Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit; usque ad praesentem Episcopatum successio Sacerdotum, tenet postremo ipsum Catholicae nomen. Ita ergo tot et tanta nominis christiani charissima vincula, recte hominem tenent credentem in catholica Ecclesia.“

Nostrum est Fratres! hanc conscientiam tanti summique beneficii et gratiae divinae, quod membra simus unicae verae Christi Ecclesiae, unicae orthodoxae catholicae, nobis concreditis propriam reddere, et dolentes numerosos milliones orientalium Christianorum, licet eandem fidem profitentes, et cultum vere catholicum nobiscum communem ut demonstratum est tenentes, in adversis tamen castris cum Lutheri et Calvini asseclis contra fundamentum in Beato Petro Principe Apostolorum Ecclesiae per Christum positum et per eos quoque professum, et permanens in cathedra S. Petri Romana divinitus constitutum regimen quod claves regni coelorum seu regiminis totius Ecclesiae christianae a Beato Petro Apostolo divinitus

haereditatas tenet, versari; neque aliud superest, quam illos ingenua charitate prosequi, ut quos nec propria confessio et professio illuminat, saltem superabundans charitas nostra moveat, ut sentiant se nobis proximos esse; indesinenter autem simul orare, ut quos a nobis sejunctos deploramus, nobiscum uni Christi verae Ecclesiae restitutos fratres recuperemus, ut unitis viribus Christi notum faciamus gentibus, quae fidem nostram in redemtionem per Christum unicum Salvatorem Deum nondum habent; sicque adveniat regnum Dei, et impleatur divina Salvatoris nostri promissio, ut sit unus pastor, et unum ovile. Ideo porpetuo memores simus ejus:

Vae illi, per quem venire potuit
Regnum Dei, et non venit.

Ut autem magis persvadeamini quanta sollicitudine sancta Sedes Apostolica Romana nullo non tempore Ritum nostrum et disciplinam canonicam orientalem defenderit, et conservare studuerit, subnecto hic pro coronide duas praecipuas sanctae Sedis Apostolicae Constitutiones:

I.

**Leo Papa X.**

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Accepimus nuper, quod licet dudum in Concilio Florentino sub felicis recordationis Eugenio PP. IV. praedecessore nostro, in quo inter caeteros Principes, et Praelatos, Imperator tunc Graecorum, et quam plurimi alii Praelati nationis Graecae pro unione facienda de orientali Graecorum cum Romana Ecclesia, re tamdiu a Praedecessoribus nostris R. Pontificibus, ac tota Christiana Republica desiderata interfuerunt;



inter alia statuta determinatum est, nationem praedictam, in quibusdam eorum ritibus et observantiis, quae non imputabantur haeresi, permanere, et inter caetera scilicet: quod Presbiteri in fermentato celebrare ac sub alia forma, quam Romana baptisare, videlicet; baptisatur servus Dei in nomine Patris et Filii, et Spiritus S. Amen. Item quod ordinati in sacris matrimonio, ante ipsorum sacrorum ordinum sumptionem contracto, uti, et barbam nutrire venerandumque sacramentum sub utraque specie omnibus, etiam pueris, ministrare possint, per dictum concilium statutum ordinatum decretum, sive permissum fuerit; tamen Ordinarii locorum Latini ipsam nationem super dictis ritibus et observantiis, in locis, ubi de praesenti Graeci morantur, quotidie molestent, perturbent, et inquietent, cogentes pueros ipsorum, et alios eorum more baptisatos, iterum more Romanae Ecclesiae rebaptisari; dictumque Sacramentum sub utraque specie omnibus, etiam pueris praedictis, minime administrari debere, neque barbam nutrire, neque in fermentato, sed in asymo celebrare ac in dictis sacris ordinibus ordinatos matrimonio nequaquam uti debere: propter quae, et nonnulla alia quotidie in populo diversa scandala exoriuntur, ac in dies, nisi de oportuno per nos remedio provideretur, exoriri contingeret. Considerantes autem quam operae pretium, pium ac necessarium sit, ut unio praedicta, multo labore quaesita, — — per Romanos Pontifices, — conservetur et dictorum Graecorum molestiis et impedimentis hujusmodi obvietur, nec non quieti ipsorum, atque animarum consolationi, in praemissis oportune consulatur, Ritus quoque et observantiae in eorum ecclesiis, et alibi, juxta antiquam ipsorum con-

svetudinem conserventur; motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra liberalitate, et ex certa scientia nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, dictis Graecis, tam Praelatis, quam aliis personis nationis Graecae et eorum cuilibet, ut eorum ritibus, et observantiis, sive consvetudinibus, ut praemittitur uti, ac illos, et illas observare, missasque et alia divina officia, secundum eorum consvetudinem celebrare — possint, motu et scientia similibus, tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Et insuper, quod nullus Archiepiscopus, Episcopusque ordinarius, clericos Graecos, ad sacerdotium promovere audeat, ac quod in Dioecesi, ubi Latini et Graeci cohabitant, et solum Archiepiscopum, sive Episcopum Latinum ordinarium habent, dictus Archiepiscopus sive Episcopus circa negocia et causas dictorum Graecorum Vicarium Graecum eis gratum, vel per ipsos Graecos eligendum, ex quo vir Graecus melius Graecos mores novit, quam Latinus, eorum stipendio et salario retinendum deputare, quodque in causis appellationis ad metropolitanum, si forte Graecus non esset, dictus metropolitanus, similiter in dictis causis, Judicem Graecum deputare teneantur. Et insuper cum in parochialibus ecclesiis ipsorum Graecorum ex antiquissimo et hactenus observato ritu missam non nisi semel in die per unum Sacerdotem celebrari liceat, et tamen nonnulli Sacerdotes Latinorum, dimissis ipsorum propriis parochialibus Ecclesiis, ut praefatos Graecos injuria afficiant, et ad disturbandum eorum ritus, et consvetudinem hujusmodi, nescitur quo spiritu ducti, interdum Altaria dictarum parochialium Ecclesiarium praeoccupant, et inibi contra volunta-



tem eorumdem Graecorum Missas, et forsan alia divina officia celebrant, adeoque dicti Graeci saepe numero sine auditione Missarum cum magna animarum molestia festivis et aliis diebus, quibus Missam audire consveverunt, remaneant: Nos autem ad obviandum scandalis et providendum, ne in futurum molestiae hujusmodi Graecis ipsis inferantur, Sacerdotibus Latinis praedictis, ne de caetero Missas et alia divina officia in dictis Ecclesiis eorumdem Graecorum celebrare, Magistratibus vero, si qui sunt, ne dictis Sacerdotibus, auxilium et favorem praestent, nec non, ut nullos ritus et caerimonias in dicto concilio Florentino, vel alias adprobatos, blasphemare, aut reprobare, ac ubi duo, unus Latinus, alter vero Graecus, ejusdem loci, — sunt Episcopi; episcopus Latinus de personis Ecclesiasticis et saecularibus Graecis, ac jurisdictione Episcopi Graeci, vel aliis quibuscunque, ad Episcopum Graecum spectantibus, nullatenus se intro mittere praesumat, sed Episcopus Latinus Latinorum, Episcopus vero Graecus Graecorum duntaxat curam, regimen et jurisdictionem respective habeant, et exerceant. Et insuper, quod presbiteri Latini in Ecclesiis Graecorum neque celebrare, neque funeralibus, nuptiis, ac Baptismis, et aliis Graecorum actibus publicis et privatis interesse, aut se immiscere, nisi ad hoc specialiter per ipsos Graecos vocati fuerint, audeant, vel praesumant. Quod Clerici, ac Presbyteri saeculares, monachi Graecorum, eorumque Ecclesiae ac Monasteria bonis, quaecunque de jure sive consvetudine, vel alias quomodolibet ad ipsos pertinent, uti, potiri, et gaudere libere ac licite possint, et valeant; nec non Abbates, et Monachi Graeci, eorumque Monasteria,

loca et bona quaecunque omnibus et singulis privilegiis, exemtionibus, indultis, gratiis et praerogativis, in bulla Mare magnum nuncupata contentis, Fratribus ordinis Minorum, regularis observantiae, eorumque monasteriis, locis seu conventibus, tam per dictam bullam', quam alias quomodolibet concessis, et concedendis, etiam uti, potiri et gaudere possint. Nec non viduae Presbiterorum vel clericorum Graecorum, in castitate juxta ritum Graecorum viventes, iisdem immunitatibus, exemtionibus, privilegiis, quibus viventibus eorum viris presbiteris, seu clericis gaudere poterant, gaudeant, et fruantur modis, scientia et potestate paribus concedimus, decernimus, et declaramus; ac ita per A. Episcopos, Episcopos, et alios Praelatos, presbiteros et clericos Latinos, pro dictis et quibuscunque aliis eius videlicet Praelatis, et suis majoribus, sub suspensionis, a divinis, aliis vero inferioribus sub excommonicationis latae sententiae, privationis beneficiorum Ecclesiasticorum, quae obtinent, ac perpetuae inhabilitatis ad alia in posterum obtinendo ipso facto per quemlibet contra facientem incurrendis, poenis praecipimus, mandamus, quatenus praesentes literas ac omnia in eis contenta inviolabiliter observent, sicque per quoscunque Judices in Romana curia vel extra eam in quacunque instantia judicari sententiari, et definiri debere, sublato eis et eorum cuilibet aliter judicandi, sententiandi et definiendi facultate, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quocunque, quavis authoritate, scienter vel ignoranter contigerit, attentari. Et nihilominus Venerabilibus Fratribus nostris, Caserlano et Asculano Episcopis, per haec scripta committimus, et in virtute obedientiae mandamus, quatenus eisdem



Graecis, tam Presbyteris, et Clericis, religiosisque praedictis, quam saecularibus et aliis personis dictae nationis Graecae, efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant per se, vel per alium seu alios, praenominatos, et quemlibet ipsorum, concessionibus, indultis, gratiis, indulgentiis, nec non statutis, decretis, et ordinationibus, praedictis, pacifice, ac perpetuo frui, gaudereque; non permittentes eos, et eorum quemlibet in praemissis aliquo quaesito colore molestari, impediri, perturbarique; contradictores quoslibet praedictas et quasvis alias poenas et censuras ecclesiasticas, aggravando, reaggravando, interdictumque — apponendo, et alia opportuna juris remedia, appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis; non obstantibus etcet. — Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die 26. Maii Anno MDXXI. Pontificatus nostri anno.“ Apud Pray Hierarchia S. P. I. p. 982—389.

## II.

## Pius Papa IX.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Romani Pontifices, quibus ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Apostolorum Principis fuit commissa suprema cura et potestas universam regendi ac moderandi Ecclesiam, nunquam intermiserunt indefessis consiliis et laboribus sanctissimam Christi fidem, religionemque diffundere per omnes terras, et secundum Domini praeceptum confirmare Fratres, et homines nutantes sustinere, et imperitos docere, et laborantes erigere, et devios revocare, et incertos ducere, ac vel haeresis, vel schismatis contagione infectos

ad catholicae unitatis centrum reducere, et spirituali omnium populorum bono consulere, et omnia peragere, quae majori Ecclesiae utilitati quovis modo conducere possent. Cum autem Ecclesia a Christo Domino fundata una omnino sit, eaque ex Occidentis et Orientis populis constet, tum iidem Romani Pontifices suas omnes paternas curas cogitationesque in Orientalis quoque Ecclesiae gentes assidue contulerunt, quae tot habuit viros ingenio, consilio, sacraque praesertim doctrina, eruditione, eloquentia, ac sapientissimis scriptis, magnorumque recte factorum, et sanctitatis gloria insignes.

Et sane ut in Oriente integrum inviolatumque catholicae fidei servaretur depositum, utque ecclesiastica disciplina prospere procederet, et sacra liturgia omni sanctitate ac splendore fulgeret iidem Pontifices, ubi primum Ecclesiae pax fuit donata, et plura convocarunt Concilia, et varias edidere Constitutiones, decreta, nihilque intentatum reliquere, ut Orientalium utilitatem promoverent. Quod quidem singulare Romanorum Pontificum, et hujus Sanctae Sedis erga Orientales populos studium et amor semper viguit, ac vel maxime enituit, cum aliqua praesertim oborta est haeresis aut schisma excitatum, quandoquidem iidem Pontifices nullis sibi curis parcendum esse duxerunt, ut in Oriente catholica servaretur, et magis in dies propagaretur unitas. Atque haec fidei unitas cum legitimorum rituum varietate optime consistit, ex quibus immo major in Ecclesiam ipsam splendor et majestas mirifice redundat. Hinc ipsi Decessores Nostri non solum in animo nunquam habuere Orientales gentes ad ritum latinum ducere, verum etiam quoties opportunum esse existimarunt, luculentissimis verbis



clare aperteque declararunt, se nolle proprios Orientalium Ecclesiarum ritus, utpote venerabili suae originis antiquitate, et sanctorum Patrum auctoritate commendatos, destruere vel immutare, sed unice velle ne quid in ritus ipsos forsitan induceretur, quod fidei catholicae adversetur, vel periculum generet animarum, vel ecclesiasticae deroget honestati, quemadmodum immortalis memoriae Benedictus XIV. Decessor Noster copiose demonstravit suis Encyclicis Litteris ad Orientales Missionarios, die 16. Julii anno 1755 datis, quarum initium „Allatae sunt." Quod si Orientales ritus alicujus arbitrio aliquando immutati fuerint, id nunquam Apostolicae huic Sedi est tribuendum.

Majores vero, ac potissimae post funestissimum, et nunquam satis lugendum Photii schisma curae et sollicitudines pro Orientalibus a Romanis Pontificibus, et ab hac Apostolica Sede adhibitae fuere, quae optatissimum in Florentino Concilio assequutae sunt exitum, cum in eodem Concilio sancta catholica unio, jamdiu tam vehementer expetita fuerit restituta. Cum vero Marcus Archiepiscopus Ephesinus tamquam novus Photius hujusmodi unionem insigni prorsus audacia convellere et labefactare est conatus, Romani Pontifices omnem dederunt operam, ut Graecos ad catholicam unitatem reducerent, ac spiritualibus omnium Orientalium necessitatibus studiosissime occurrerent. Quocirca eorumdem Pontificum cura et Missionarii ad Orientales gentes missi, et Orientalium rituum libri recogniti, et peculiaria S. R. E Cardinalium Consilia instituta, quae eorum negotia sedulo examinarent ac definirent. Et quidem pluribus annis ante Clementis VIII. Pontificatum specialis instituta fuit Congregatio de rebus Graecorum, ac alia deinde sub eodem

Pontifice erecta super negotiis fidei et religionis catholicae, paulo post appellata de Propaganda Fide, quae tum Graecorum, aliorumque Orientalium negotia, tum fidei propagationem in Occidentalibus regionibus curaret. Atque haec Congregatio eundem habebat finem, quem deinde habuit, et in praesentia habet Congregatio generalis eodem titulo Propagandae Fidei insignita, et a Gregorio XV. Apostolicis litteris die 23. Mai anno 1622 datis, et incipientibus „Inscrutabili“ erecta cum munere presidendi Missionibus omnibus ad praedicandum et docendum Evangelium et catholicam doctrinam.

At vero, inspecta Orientalium cum ritus tum disciplinae varietate, vel facile fuit statim agnoscere, etiam post praedictae Congregationis generalis de propaganda Fide institutionem, necesse esse, ut quemadmodum Occidentalium ita et Orientalium graviora negocia, quae majori examine et studio indigerent, peculiariter a nonnullis ejusdem Congregationis generalis Cardinalibus tractarentur. Quocirca, Urbano VIII. Pontifice, qui in locum Gregorii XV. fuit suffectus, duae speciales ex ipsius generalis Congregationis de Propaganda Fide gremio Congregationes constitutae fuere, quarum altera appellata super dubiis Orientalium, altera super correctione Euchologii Graecorum. Ut vero opus ab hac postrema Congregatione inceptum ad finem perduceretur, et studia eidem pro Euchologio Graecorum commissa omnes Orientalium libros complecterentur; nova Congregatio uti stabilis et distincta a Congregatione de Propaganda Fide erecta fuit a Clemente XI. super correctione librorum Orientalium, proprium habens Praefectum et Secretarium, et constans ex quinque Cardinalibus, pluribus theo-



logis, virisque orientalium rituum et lingvarum peritia. Ex ipsius autem Congregationis Christianae Fidei Propagandae actis apparet quomodo fere semper, ubi de aliquibus summi momenti Orientalium negotiis erat peragendum, eorum cura et examen fuerit demandatum peculiaribus Consiliis, seu Congregationibus S. R. E. Cardinalium ejusdem Congregationis de Propaganda Fide, quemadmodum praestitum fuit de rebus, quae Graecos Melchitas, Armenos, Coptos, Maronitas, Ruthenos, aliasque Orientales nationes respiciebant.

Haec autem agendi ratio, quam ipsa rerum natura et indoles exposcit, Nobis viam munivit ad ea deliberanda, quae Nostris hisce Litteris constituere existimavimus. Cum enim arcano Divinae providentiae consilio in hac Petri Cathedra, licet immerentes, collocati pastoralis Nostrae vigilantiae, sollicitudinis et caritatis curas cogitationesque ad universum humanum genus indesinenter debeamus extendere, ac simul omni contentione eniti et efficere, ut omnes homines cognoscant solum Deum verum, et quem misit Jesum Christum, et omnes occurrentes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei vitam habeant, idcirco vel ab ipso Nostri Pontificatus exordio curas Nostras ad Orientales studiosissime aeque ac amantissime convertimus, clementissimum misericordiarum Patrem sine intermissione orantes et obsecrantes, ut qui in fidei unitate cum hac veritatis Cathedra sunt consociati, magis in dies stabiles et immoti persistant, et crescentes in scientia Dei, et cognitione Domini Nostri Jesu Christi per bona opera certam eorum vocationem et electionem faciant; qui vero ab unico Christi ovili, extra quod salus esse non potest, misere aberrant, ad

*

illud redire properent, atque festinent. Ea porro spe sustentamur fore, ut dives in misericordia Deus hisce Nostris humillimis et ferventissimis precibus propitius annuere velit. Interim vero prae oculis habentes praesentem Orientalium conditionem, et noscentes, in aliquibus locis quaedam impedimenta, Deo auxiliante, ita fuisse remota, ut Orientalis ritus gentes possint cum hac Apostolica Sede libere communicare, et idcirco facilius Nobis sit gravibus illarum indigentiis occurrere, Apostolici Nostri ministerii esse duximus, Nostras paternas curas et sollicitudines ingeminatis studiis adhibere, ut spirituali eorumdem Orientalium bono et necessitatibus majorem in modum prospicere valeamus. Itaque selectae S. R. E. de Propaganda Fide Cardinalium et Romanae Curiae Praesulum Congregationi commisimus, ut, rebus sedulo perpensis, Nobis proponeret, quae potiora essent suscipienda consilia ad Orientalium utilitatem magis magisque procurandam. Qui quidem Cardinales et Praesules ex una parte apprime noscentes quam multiplices gravesque sint Orientalium indigentiae, et quam necesse sit, ut illorum negotia propter lingvae, ritus, disciplinaeque varietatem peculiari ratione quotidie magis dirigantur; ex altera vero animadvertentes quae quantaeque sint curae et occupationes ejusdem Congregationis Fidei Propagandae ob mirum sanctissimae nostrae religionis progressum, hoc potissimum ineunte saeculo, Divina adspirante gratia, in America septentrionali, in Indiis Orientalibus, in Sinis, in Oceania, aliisque Europae locis singulari ejusdem Congregationis opera studioque effectum, et ob auctum Sedium Episcopalium et Apostolicorum Vicariatuum, et sacrarum expeditionum seu Missionum numerum, vel facile sibi



persvaserunt, eamdem Congregationem novis indigere auxiliis, ut sine gravibus difficultatibus Orientalium negotiis speciali modo providere queat. Quamobrem sensere opportunum omnino esse ad hujusmodi assequendum finem, ut ex ipsius Congregationis Fidei Propagandae more, formandi scilicet speciales Congregationes pro rerum ac temporum gravitate, institueretur peculiaris Congregatio, quae stabili modo omnia tum ritus, tum disciplinae Orientalium Ecclesiarum negotia tractanda, ac dirigenda unice curaret. Quamobrem Nobis proposuere consilium formandi ex ipsa Congregatione Fidei Propagandae specialem et stabilem Congregationem, quae Orientalium libris corrigendis, omnibusque et singulis cujusque generis Orientalium negotiis tractandis unice operam navet, qnaeque constet ex nonnullis ejusdem Congregationis Fidei Propagandae Cardinalibus, atque a Generali ipsius Congregationis Cardinali Praefecto pendeat, et proprium habeat Secretarium, proprios Consultores, ac proprios Officiales. Nos igitur de majori Orientalium bono summopere solliciti, et ea omnia peragere vehementer cupientes, quae spirituali eorumdem prosperitati magis in dies conducere queant, de eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio ac sententia hisce Litteris Auctoritate Nostra Apostolica, praedictam specialem Congregationem pro omnibus Orientalium Ecclesiarum negotiis unice tractandis ac dirigendis perpetuum in modum erigimus et constituimus, iis tamen legibus et conditionibus, quas hisce Nostris Litteris statuimus, et quas perpetuo servandas esse praecipimus.

Omnia itaque negotia, quae ex commemoratis Decessoris Nostri Gregorii XV. Litteris „Inscrutabili"

